

www.e-rara.ch

[Opera Latina]

Petrarca, Francesco

[Basel], [1496]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-89342>

Parthenias

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Parthenias

Clarissimi & insignis uiri Frāncisci Petrarchæ Ro-
mæ nuper laureati: Bucolicū Carmē in duodecim
Aeglogas distinctū: Quarū prima cui Titulus est
Parthenias: Fœliciter Incipit.

Collocutores sunt Syluius & Monicus.

Syluius.

Monice tranquillo solus tibi conditus antro
Et gregis & ruris potuisti spernere curas.
Ast ego dumosos colles syluasq; pererro
Infœlix: Quis fata neget diuerſa gemellis?
Vna fuit genitrix: at ſpes non una ſepulchri.

Monicus.

Sylui quid quereris? cunctoꝝ uera laborum
Ipſe tibi cauſa es: Quis te per deuia cogit?
Quis uel inaccessum tanto ſudore cacumen
Montis adire iubet: uel per deſerta uagari:
Muſcoſoſq; ſitu ſcopulos: fontesq; ſonantes?

Sylui.

Hei mihi ſolus amor: ſic me uenerata benigne
Aſpiciat ſpes noſtra pales. Dulciſſimus olim
Parthenias mihi iam puero cantare ſolebat
Hic ubi benachus uitrea pulcherrimus aluo
Perſimilem natum fundit ſibi. Venerat ætas
Fortior: audebam nullo duce iam per opacum
Ire nemus: nec luſtra feris habitata timebam:
Mutatamq; nouo frangebam carmine uocem.
Aemulus at famæ dulcedine tactus inanis
Ecce peregrinis generoſus paſtor ab oris
Neſcio qua de ualle canens: nec murmure noſtro
Percuſſit flexitq; animum: mox omnia cœpi
Temnere: mox ſolis numeris & carmine paſci.
Paulatim creſcebat amor: quid multa? canendo
Quod prius audieram didici: muſiſq; coactis
Quo mihi parthenias biberet de fonte notauī.
Nec minus eſt ideo cultus mihi: magnus uterq;
Dignus uterq; coli: pulchra quoq; dignus amica.
Hos ego cantantes ſequor: & diuellere memet
Nec ſcio: nec ualeo: mirorq; q̄ horrida nondum
Sylua: nec aerij cœperunt currere montes:
Verum ubi iam uideor collectis uiribus olim
Poſſe aliquid: ſoleo de uertice montis ad imas
Ferre gradum ualles: ubi ſons mihi ſæpe canenti
Plaudit: & arentes reſpondent undiq; cautes.
Vox mea non ideo eſt grata mihi: carmina q̄q;
Laudibus interdum tollant ad ſydera nympha:
Dum memini quid noſter agat: quid ue aduena paſtor:
Vror & in montes flammata mente reuertor:
Sic eo: ſic redeo: nitar ſi forte camœnæ

Parthenias

- Dulce aliquid dictare uelint: quod collibus altis
 Et mihi complaceat: quod lucidus approbet aether:
 Non raucae leue murmur aquae: nec cura: nec ardor
 Defuerint: si fata uiam & mens tarda negarit:
 Stat germane mori: nostrorum haec summa laborum.
- Mo. O si forte queas durum transcendere limen:
 Quid refugis? turpesque casas & tuta pauescis
 Ocia: quid frontem obducis? nemo antra coactus
 Nostra petit: plures redeunt a limine frustra.
- Syl. Non pavor hic animi fuerat: si forsan aures
 Dulcibus assuetas inamoena silentia tangunt
 Miraris: natura quidem fit longior usus.
- Mo. O iterum breue si mecum traducere tempus
 Contingat: sileatque fragor rerumque tumultus.
 Dulcius hic quanto media sub nocte uidebis
 Psallere pastorem: reliquorum obliuia sensim
 Ingeret ille tibi: non carmen inane negabis
 Quod modo sollicitat: quid te suspendit hyantem?
- Syl. Quis quaeso? aut quonam genitus sub sydere pastor
 Hoc queat? audiui pastorum carmina mille:
 Mille modos: quenque nostris aquare cauto.
- Mo. Audisti quo monte duo fons unicus aedit
 Flumina: siue ubinam geminis ex fontibus unum
 Flumen aquas sacrumque caput cum nomine sumit?
- Syl. Audiui ut quondam puer hispidus ille nitentis
 Lauit apollineos ad ripam gurgitis artus.
 Felices nymphe quae corpus tangere tanti
 Promeruere dei: fluuius si uera loquuntur
 Per cinerum campos ultricibus incidit undis.
 Hunc igitur dulci mulcentem sydera cantu
- Mo. Illa tulit tellus: licet experire: iuuabit.
- Syl. O ego noui hominem: ciues & moenia paruae
 Saepe hierosolymae memorat: nec uertitur inde:
 Semper habet lachrymas: & pectore raucus anhelat.
 Hi Romam troiamque canunt: & praelia regum:
 Quid dolor & quid possit amor: quid ue impetus irae:
 Qui fluctus uentosque regat: qui spiritus astra:
 Nec non & triplicis sortitos numina regni
 Expingunt: totidem uaria sed imagine fratres.
 Sceptiferum summum iouem facieque serena:
 Inde tridentiferum moderatoremque profundum
 Ceruliumque comas: medium fuscumque minorem
 Torua latus seruat coniunx: aterque paludis
 Nauita tartareae piceae redit itque per undas:
 Tergeminusque canis latrat: tum dura seueris
 Penae trahunt manibus fixa sub lege sorores:
 Quin etiam stygias aeterna nocte tenebras
 Anguicomaeque simul furias: templumque forumque:

Argus

Tum syluas & rura canunt: atq; arma uirosq;

Mo. Hic unum canit ore deum: quem turba deorum
Victa tremit: coelum nutu qui temperat almum:
Aethera qui librat liquidum: qui roris aceruos
Quiq; niues spargit gelidas: & nube salubri
Elicit optatos herbis sitientibus imbres:
Qui tonat: & trepidum rapidis quatit aera flammis:
Tempora syderibus qui dat: sua semina terris:
Qui pelagus fluitare iubet: consistere montes:
Qui corpus mentemq; dedit: quibus addidit artes
Innumeras: geminum cumulans ab origine munus:
Qui uitae mortisq; uices: quaeq; optima fessos
Fert super astra: uiam docuit: repetitq; monendo.
Hunc meus ille canit: neu raucum dixeris oro.
Vox solida est penetransq; animos dulcore latenti.
Iure igitur patrijs primū celebratus in aruis
Attigit & uestros saltus: lateq; sonorum
Nomen habet: quae rura padus: quae thybris: & aruus:
Quae rhenus rhodanusq; secant: quaeq; abluunt aequor:
Omnia iam resonant pastoris carmine nostri.

Syl. Experiar si fata uolent: nunc ire necesse est.

Mo. Quo precor: aut quis te stimulus: quae cura perurget?

Syl. Urget amor musae: quoniam modo littore in aphro
Sydereum iuuenem genitumq; ex stirpe deorum
Fama refert magnis implentem pascua factis.
Te polypheme tuis iam constrauisse sub antris
Dicitur: & libycos syluis pepulisse leones:
Lustra; submissis audax incendere flammis.
Hunc simul italidesq; nurus: pueriq; senesq;
Attoniti aduerso certatim a littore laudant:
Carminē fama sacro caret haecenus: & sua uirtus
Praemia deposcit: pauitans ego carmina coepi
Texere: temptabo ingenium: uox forte sequetur
Orphea: promeritum modulabor arundine parua.

Mo. I sospes: uariosq; uiae circumspecte casus.

Explicit Prima Aegloga: quae Parthenias intulatur

Incipit Secunda Aegloga: cui titulus est Argus.

Collocutores: Ideus: Phytias & Syluius.

Ideus.

Aureus occasum iam sol spectabat: equosq;
Pronum iter urgebat: facili transmittere cursu.
Nec nemorum tantam per saecula multa quietem
Viderat ulla dies: passim saturata iacebant
Armenta: & lenis pastores somnus habebat,
Pars teretes baculos: pars neclere ferta canendo
Frondea: pars agiles calamos: tunc fusca nitentem
Obduxit phœbum nubes: praecipitq; repente
Ante expectatum nox affuit: horruit aether

Argus

Grandine terribili: certatim uentus & imber
Sauire: & fractis descendere fulmina nimbis:
Altior æthereo penitus conuulsa fragore
Corruit: & colles concussit & arua cupressus:
Solis amor quondam: solis pia cura sepulti:
Nec tamen eualuit fatalem auertere luctum
Solis amor: uicique pium fors dura fauorem:
Præscius heu nimium uates tu phœbe fuisti:
Dum sibi: dumque alijs erit hæc lachrymabilis arbor:
Dixisti. Ingenti strepitu tremefacta ruina
Pastorum mox turba fugit: quæcunque sub illa
Per longum secunda diem confederat umbra:
Pars repetit montes: tuguri pars limina fidi:
Pars specubus: terræque caput submittit hianti.
Syluius & phytias scopulum fortassis eundem
Præcipiti petiere gradu: geminisque cauernis
Occuluere animas strepiti nec pauca gementes:
Post ubi laxatis tempestas fracta parumper
Nubibus: & cœli siluerunt murmura fessi.

Phy. Incipit illachrymans phytias: o iupiter alme
Si scelus hoc nostrum meruit: si rustica sordet
Pastorum pietas: miseris ignosce precamur:
Innocui miserere gregis: meliorque capellas
Collige dispersas: teneris signata labellis
Vbera te moueant: nisi forte obliuia lactis
Illius: astringera nectar tibi sugerit aula.
De grege nempe fuit nutrix tua. Talia quæstus
Subticuit: pectusque manu percussit & ora.

Syl. Syluius audita rupis de parte quærela
(Nam neque se coram cernebant: obice paruo
Præteritæ silicis ramoque comati dirempti)
Concussa sic mente refert: gemitumque coercens:
O phytia phytia fateor sic astra minari
Iam pridem aduertit: postque flammantia martis
Lumina: & imbrifera saturnum parte morantem
Obsessumque iouem: & uenerem transuersa tuentem:
Sibila uentorum postque peregrina notauit:
Nonne procul nebulas limo exhalante palustri
Surgere: & in nostrum delatas uidimus axem?
Nonne grues profugas turpesque ad littora mergos?
Num coruos fulicasque uagas: num sydera mœsta
Vidimus & nimbo uelatam abscedere phœben?
Tum quæ multa olim nascentis signa procellæ
Syluicolæ cecinere senes: sed ferre necesse est.
Hæc est uita hominum phytia: sic lata dolendis
Alternat fortuna ferox: Eat ordine mundus
Antiquo: nobis rerum experientia prosit.
Quo grex cunque miser ruerit consistere certum est.

Argus

- Phy. Chare mihi imprimis & semper maxime sylui
Respondit phytias: oculos te consule tergam.
Tu modo si quid habes damni solamen acerbis:
Tempestiua graues releuent obliuia casus.
- Syl. Immo ait ille: tuum est quæ condita carmina seruas
Mecum partiri: daphnis pastoribus olim:
Et tibi nunc ingens merito cantabitur argus.
Quid tibi non nobis phytias? num tu quoque carmen
Argeum uocitare libet: nimis omnia calas:
Incipe: forte sequar: nisi uox tua terreat inquit
Syluius: ille alta fregit suspiria uoce.
- Phy. Arge decus rerum: sylue dolor arge relicte
Hæc licuit rapidae sacrae de corpore morti:
Hæc ausa est tellus: te qui stellantis olympi
Iam solus spectator eras: humus obruit atra:
Quo fauor & nostri redijt quo gloria sacli:
Quis tempestates prænoscet ab æthera longe?
Quis mihi uoce feras: quercusque & saxa mouebit?
Aut longam dulci traducet carmine noctem?
Quis terrebit apros: quis tendet retia damis?
Quis uisco captabit aues: quis flumine mergens
Alī miseras curabit oues: quis sacra cybelles?
Atque humilem admeti famulantem in gramina phœbum
Rite canet: quem nocturnus trepidabit abactor:
Quem noscent dociles alta sub rupe capellæ:
Quem uigiles fidiq; canes: quem dulcis amica:
Quis mihi solennes statuet per littora ludos:
Inluetam patrio renouans ex more palestram:
A quo consilium dubij: diuinaque late
Syluestres responsa ferent: quis tempore in arcto
Supplicibus præstabit opem: pulcherrime quondam
Arge amor ac luctus: dryadum quid sylua? quid antrum?
Quid sine te colles: & post te uiuere quisquam
Aut uolet aut poterit: pastores credite: mors est
Viuerē post argum: iam nunc arefcere circum
Stagna: lacus: fontes: ipsumque uidebitis æquor:
Spiritus alter erit uentis: color alter in herbis:
Floribus alter odor: solitos nec poma sapes
Seruabunt: nec prata comas: nec flumina lymphas:
Vellera nec pecudes: nec opimas campus aristas,
Omnia namque oculis unus: nec fallimur: ille
Latificare suis: & fœcundare solebat.
Illo sylua fuit semper sub principe tuta:
Pax inerat fronti: purgabat nubila uerbo.
Ille abiit: fortuna suos mutata fatigat.
- Syl. Extorques lachrymas: nec iam mihi uiuere dulce est
Post argum: sed uiuaci parebimus astro.
- Phy. Effugis agnosco nusquam sine carmine sylui:

Amor pastorius

Si libet ire cane: post I tua damna recense.

Syl. Pastorum rex argus erat: cui lumina centum
Lyncea: cui centum uigiles cum sensibus aures:
Centum artes: centumq; manus: centumq; lacerti:
Lingua sed una fuit: cum qua rupeq; ferasq;
Flecteret: & fixas terræ diuelleret ornos.
Ille diu clarus syluis: perq; omnia notus
Pascua: formosis cantatus ubiq; puellis.
Mille greges niueos pascens per mille recessus.
Postq; pertesum est nemorum longiq; laboris
Irrediturus abit: uolucrisq; per auia saltu
Euolat in montes: illinc de uertice summo
Despicit: & nostras curas nostrosq; tumultus:
Regnatq; uidet quanta est angustia syluæ:
Alloquiturq; iouem: & uiduum commendat ouile.
Arge uale: nos te cuncti: mora parua: sequemur.
His dictis abeunt: patrij sulmonis ad arua
Contendit phytias: syluas petit alter hetruscas.
Solutus ego afflicto mœrens in littore mansi.
Explicit Secunda Aegloga: quæ Argus intitulat:

Incipit Tertia Aegloga: cui titulus est Amor pastorius.

Collocutores: Stupeus & Daphne

Stupeus **E**C quis erit precibus finis mea cura fugæq;
Fige pedem daphne precor: & miserere tuorum.
Daphne. Quæ phœbum spreuit: quem non spretura putet:
Quare alias curas: sis importunus amando.
Stu. Hinc labor: hinc amor exagitant: coguntq; tremementem
Interrupta loqui: sit respirare parumper.
Vis: dolus: insidia cessant: deponere pauorem:
Et nostros audire sedens dignare labores.
Daph. Fare igitur: cupidasq; manus frenare memento.
Stu. Daphne ego te solam deserto in littore primum
Aspexi: dubius hominem ne deam ne uiderem:
Aurea sic rutilo fragrabat murice palla:
Sic cœlum late insolito complebat odore:
Dulcia sydereas iactabant ora fauillas:
Ardentesq; comas humeris dispererat aura.
Dirigui: sol cum radijs certabat iniquo
Marte tuis: totum non nostro lumine corpus
Fulgebat: timuiq; deos: ne forte uidendo
Arderent: raperentq; prius q; uulnera nosse
Nostra: uel occultos incensi pectoris ignes:
Accedo cupiensq; grauis primordia morbi.
Pandere: uix sicco uocem pulmone reuulsi:
Acris inexpletum uultu indignante locuta:
Effugis: incessus docuit: nam uerba profundo
Insedere animo: & liquidis hasere medullis

Amor pastorius

Exilio lachrymæ: & miserum su spīria pectus
Flatibus assiduīs tundunt: atq; imbre repentī.
Tu tandem (quæ sola potes) miserere: modumq;
Pone malis: si iusta peto: si cognita narro.

Daph. Quot placuit mea forma uirīs: quot torlit amantes:
Dinumerare piget: pla cui super omnia phœbo.
Aureus ille comam nitido spectabilis arcu
Ingenio citharæq; potens: loue patre superbus
Spretus & indignans abiit: stat conscia curui
Ripa senis: memorantq; patris sub gurgite nymphæ.
Tu quid habes: quo posse putes: hoc frangere saxum.

Stu. Quisquis amore uoles solido tranquillus & alta
Pace frui: maiora fuge & nimis alta caueto:
Illic contemptus: & iurgia mixta querelis:
Atræq; perpetuis bacchantur nubila uentis.
Quin etiam uitare pares (licet obstrepat error
Publicus) admoneo: fidum tibi iunge minoris
Pectus: ubi obsequium pernox: humilesq; uicissim
Blanditiæ: dulcisq; timor: res cognita paucis.
Alta petunt omnes: utinam mihi tale dedissem
Consilium: sed cogit amor: perq; ardua uictum
Luctantemq; rapit: uictor fuit ille deorum:
Molliaq; herculeis aptauit pensa lacertis.
Tu cui libertas salua est: tibi consule daphne.

Daph. Consilium laudo: sed enim quæ prima pe tebam:

Prima taces: spes summa tuos quæ nutrit amores:

Stu. Prætereo quæcunq; tribus mea pectora lustris

Ingenti siluere fide: gemitusq; latentes:

Et uigiles noctes: & quæ fert plurima secum:

Immitis dum sauit amor: quæ forte benigno

Iudice sint aliquid: tamen hæc perijisse sinamus.

Sic erit: attulerit tales mihi uita labores.

Debitus incautæ fuerit furor iste iuuentæ.

Haud tacuisse uelim q; cum mea pauca putarem

Posse placere tibi: studui si musica forte

Ars mihi ferret opem: q; te sonus atq; camœnæ

Non auri fulgor caperet: frustra q; timebam

Hanc etiam temptasse uiam: raucumq; uidebar

Nescio quid strepere: & donec mea carmina faunos

Non puduit dryadesq; pari celebrare fauore.

Sæpe quidem rimum uidi dulcedine tentas

Linquere & attonitas in me spectare capellas.

Spernere apes cytisum: mutas æstate cicadas:

Latabar: nec nata prius fiducia nostra est:

Quam facer ille mihi: cane fidens: diceret argus.

Daph. Et merito nanq; ille fuit qui talia posset

Iure iubere suo: nosset qui talia solus.

At tu si qua recens studium tibi contulit effer.

Stu. Daphne nostra quies: noster labor: atq; uoluptas:

Amor pastorius

Vnam ego te dominam: teq; hostem affusus adoro:
Tu decus es nemorum: tu spes pastoribus ingens:
Te uates magniq; duces: te iuppiter altus
Diligit: ac iaculo refugit uiolare trifulco:
Quo ferit omne nemus: te quam pharetratus apollo:
Quam celebres arsere dei: nunc stupeus ardet
Pastor inops: lentusq; gregis contemptor opimi:
Diues erit: si pulchra uoces sua carmina daphne.
Daph. Plus aliquid q̃ rebar eras: reuerentia nostri
Impedit: adde aliud: poteris fortasse placere.
Stu. Forte die medio dum me meus urget amator
Syluæ amor: in syluas subito uox contigit aures
Dulcior humana: stupui: leuis unda nitentes
Per pronum herbofo uoluebat calle lapillos.
Prominet ipse locus: murmurq; secutus aquarum:
Purpurea in ripa lauriq; uirentis ad umbram
Virgineam aspicio coelo plaudente choream.
Flecto gradum propere: tunc una sonantior omni
Ex numero: si fata tuos hoc tramite gressus
Rara mouent: aude diuinos cernere uultus.
Hæc ait: & dextram tenuit: tremor omnis abibat:
Posse loqui incipio: quin uos mihi parcite diuæ:
Error amorq; trahunt: sector uestigia duræ
Heu mihi sparsa feræ: fugit illa meosq; dolores
Nescit: ad hæc uirgo subridens: nouimus inquit
Omnia: thessalidem sequeris per confraga daphnem.
Fabula iam pridem aonijs notissima lucis:
I certus: lentescet enim: tamen accipe ramum
Hunc prius: & tenero frondosum pollice ramū
Decerpfit: cupidoq; mihi porrexit: & ibis
Ibis ait: dicesq; nouem uidisse sorores:
Quas uulgus spectare nequit: quas nulla prophanis
Mens curis imbuta uidet: Si plura rogaris:
Dic uidisse: quibus ui bella mouere: dolisq;
Quam tutum: præceps docuit de turre pyreneus:
Voce uel ingenio picæ docuere loquaces.
Dic sacro de monte uagas: dic fontis ad undam
Quem pedis impulsu genitus ceruice medusæ
Alatus perfodit equus: dic nexa canentes
Orbis imparibus uario modulamine uocum
Cuncta nouem: uariosq; animorū ex ordine motus.
Quid famæ prædulcis amor: uocisq; leuamen.
Quid studium ingenijq; uigor: quid culta cerebri
Ora tenacis agat: post hæc quis nam impetus: & quod
Iudicium æthereæ: quæ nam discretio mentis:
Quid ue potens mulcere aures: in fine: fugaces
Huc daphne dic uerte oculos: regina canori
Hunc mihi prima chori ramū dedit arbore uulsum:

Dædalus

Quem tibi monstrarem: uolucrum iubet illa: monetq;
Hæmonia post signa fugæ consistere tandem:
Ferre sit quis: motam pietate uidebis.

Daph. Motaq; sum: sequere: & collem properemus in illum.

Stu. Perge labor nullus tecum iuga prendere olympi.

Daph. Scis quo colle sedes: maiestas quanta locorum est:

Stu. Imperiosus apex dare circum iura uidetur
Collibus: & cælo syluas despectat aperto.

Daph. Huc ego pastores memini uicticia fertis
Tempora: & arboreis spolijs ornata referre:
Curribus inuectos niueis delubra deorum:
Intereram iam lata uiuens spectare iuuabat
Cum ductore greges captos: tristesq; iuuenkos:
Exuuiasq; graues peregrinis montibus actas:
Et longos rerum strepitus: pompasq; frementes:
Huc ab hyperboreis per uim custodibus aurum
Gryphibus ereptum: magnos peruenit in usus:
Huc asia prædas: informi squalida tergo:
Huc quoq; nutantes tulit indica bælua turres.
Quid te multa morer: quicquid nemus undiq; pressis
Extulit uberibus: hoc est in monte coactum.
Hic iusti sedere patres: hic uiua iuuentus:
Hic castæ lufere nurus: hoc pastor in antro
Maximus insidijs periit: nec pulcher adonis
Vulnificos euasit apros: sed tristia linquo:
Hoc ipsos est fama deos habitare cacumen:
Hoc caput est nemorū: domus hæc iouis ampla tonantis.
Hic natum complexa suum latona sibyllæ
Agnita fatiloquæ pastori ostensa superbo est:
Hæc iuga magnanimus scipionibus actus ibernis
(Sic creuit fortuna loci) tua cura: subactis
Saltibus ex libycis rediens puer ille reuifit:
Et secum rudis ille senex: post tempore multo
Cantantes uenere alij: quos dicere longum est:
Partheniasq; tuus triplicis modulatur auenæ.
Omnibus his uiridi frondebant tempora lauro.
Hic ego: dissimili q̃q̃ subsidere sertum
Fronde tamen simili faciam tibi: porrige ramum
Quem sacra castaliæ regnatricis tradidit almæ
Illius hic: nostrumq; simul tibi munus habeto.
Linque alias curas: & noster protinus esto.

Stu. Nunc uigilasse iuuat: dulce est meminisse laborum.

Explicit Tertia Aegloga: quæ Amor pastori
us intitulatur.

Incipit Quarta Aegloga: cui titulus est Dædalus.

Collocutores: Gallus & Tyrrhenus

Gallus. Ale quis ingenium: tanti quis muneris usum

Dædalus

- Vt niueum compegit ebur:neruosq; loquentes
Addidit ac numeros:dic o tyrrhene quis ille?
Dædalus an ne alius:dextra successor & artis?
- Tyrrhe. Dædalus ipse fuit:nec falleris omine galle
Artificum stupor aternus:quem docta potensq;
Miratur natura uirum:mihi maximus ille
Argutam dedit hanc citharam:plectrūq;:modosq;.
- Gal. Cuius amor meriti:cuius pulcherrima merces?
- Tyrrhe. Nullius:nam sponte meum quasiuit amorem:
Dignus quem syluæ:quem grex:quem pastor adoret.
- Gal. Qua tamen hæc regione tibi fors obuia uenit?
- Tyrrhe. Est nemus aerium trabibus quo frigida quernis
Sūmouet umbra diem:non illic aura:nec æstus:
Non gregis aut hominū uernos premit ungula flores:
Fontibus aduersis circum duo flumina surgunt:
Hoc secat hetruscos:petit illo gurgite romam:
Hic quasi uenturi prælagus:tristia mecum
Plurima uolebam:flebam quoq;:uidit ab alto
Dædalus annosas inter considere fagos.
Accessit:citharamq; ferens:puer accipe dixit:
Hæc casus solare tuos:hac falle laborem.
- Gal. Infœlix ubi tunc aberam:fortasse fuisset
Hæc fortuna alij:citharam mihi dædalus illam:
Nouit enim egregie:atq; interdum uisus amare est.
- Tyrrhe. Hanc minime:sed forte aliam:nam milia multa
Ille habet:& large partitur munera in omnes.
Galle sed ante diu q̃ præsens sylua uireret
Hæc fuerat promissa mihi:nanq; anxia partu
Mater:anhelanti lucinam uoce rogabat:
Et mœstum ignarus lucis iam limen adibam:
Attulit ecce pium fors dædalon:haud mora: mixto
Vagitu gemituq; graui:concussus apertas
Substitit ante fores:deq; obstitricibus uni
Si puer est citharam dabimus:si nata monile
Dixerat ac speculum:subitoq; euauit:inde
Polliciti redijtq; memor:fatoq; beauit.
- Gal. Vtilis inuidiæ species mutatio feruens
Incutiensq; animo stimulos:tyrrhene fatebor.
Ardeo nunc similem citharam:nisi forsitan ista
(Quod malim)caruisse uelis:sunt uellera nobis
Mollia:sunt hædi:precium uel grande licebit
Ipse rei parua statuas:parebitur ultro.
- Tyrrhe. Grande rei parua:citharæ solacia nescis:
Rem magnam (si nota) uoces:fastidia mulcet:
Laxatos animos refouet:solatur amicos.
Grandia restituit:pellit de pectore luctum:
Exiccat lachrymas:compescit flebile murmur:
Spes reuehit:frangitq; metus:uultumq; serenat.

Pietas pastoralis

- Gal. Quid precio maiore uetat uel magna pacisci:
Tyrre. Non mihi setigeri quantum uix pascitur usq;
Villigeriq; gregis: ne dum leue uellus: & hedi:
Sit premium citharæ: non si tibi gurgite latos
Ambiat hermus agros: rutilus oblimet arenis.
Quid mihi diuitiæ: quid rerum mutus aceruus:
Nostras cernis opes: hic est qua crebra rebellis
Prælia fortunæ: mundi q; præmentia uincla
Pauperiemq; leuo: rigidas hac sæpe per alpes:
Perq; nemus uacuum: perq; atra silentia noctis
Fisus: eo plaudunt uolucres & concaua saxa:
Interea tristes fugiunt per nubila curæ.
Gal. Laude sitim cumulas: fer opem: optatoq; potiri:
Te duce contingat: uiuam memor emoriarq;
Tyrre. Sera animū quæ cura subit: breuis ecce iuuentæ
Flos cecidit: tunc tempus erat: iam discere turpe est
Quod pulchrum didicisse foret: sic uoluitur ætas:
Omnia sic uoluit fugiens ac nescia freni.
Sorte tua contentus abi: citharamq; relinque:
Est quibus a teneris tractata suauiter annis.
Gal. Poscitur auxilium: tu consulis: incipe rebus
Mecum: uerba alijs quos possunt uerba mouere:
Poscimus hanc auide: toto nil pulchrius orbe est.
Tyrre. Pulchra mouent oculos: sed profunt acta fruenti:
In partesq; uenit pudor atq; modestia uoti.
Gal. O felix o chare deis tyrrene supernis.

Explicit Quarta Aegloga quæ Dædalus intitulat:

Incipit Quinta Aegloga: cui titulus est
Pietas pastoralis.

Collocutores: Martius Apitius & Festinus

- Martius **Q**uid genitrix ueneranda dolet germane: quid illi
q Accidit hoc dignum gemitu: quorsumue recetes
Mœsta pluet lachrymas: nec lumina nostra made-
Apitius Cuncta uorant anni uolucres: domat oia tempus (scūt:
Indomitum: cecidit matris fortuna decorq;
Arenti uirens senio dat terga iuuentus.
Mar. Aspice quot circum stabiles urgentibus annis:
Et uirides cernuntur anus: aliunde profecto
Luctus: & offensi ueniunt suspiria cordis.
Quærere nos causas: fatiq; obstare repertis
Suadet amor: pietasq; iubet: meritumq; reposcit
Altricis: partusq; labor: fastidia: curæ.
Api. Vim nescit natura pati: licet omnia certent
Pectore ab aduerso: cunctas licet aduocet artes
Humanū genus: & studio contendat inani
Inuictum caput illa ferens contemnit habenas.
Mar. Hæc prope dijs natura pares iubet esse parentes.

Pietas pastoralis

- Api. Hæc eadem prohibet cursum prauertere uitæ:
 Et rerum turbare uices. Iuuenescere mater
 Nostra nequit: uaria est pietas: de coniuge quisq;
 Cogitet: & paruis studeat succurrere natis.
- Mar. De genitrice nihil: sed enim mihi maxima matris
 Cura subest uiduæ: nil hac mihi charius usq;.
- Api. Quis uetat esse pium? munus leue dulcia uerba:
 Hos humeros: has illa manus: hæc brachia nobis
 Sola dedit: donisq; suis ea sola fruatur.
 Non comes esse sibi quascunq; uocarit in horas
 Abnuo: nec fragili baculo me ferre senectæ.
- Mar. Dij tibi consilium cœlo tribuere sereno:
 Nunc pietas sua regna dedit: sua possidet arma.
 Filius es: matri cui lubueniamus egenti?
- Api. Fare quid expectas? omnis mora torquet amantem.
- Mar. Est domus ampla: sibi nemoroso condita colle
 Dudum magnanimi quam quodam tempore fratres
 Obsequijs coluere pijs tam cognita late
 Mater erat: saltus nimis inuidiosa per omnes:
 Fœlix & partu & syluestribus inclyta gazis:
 Ac nemorum regina potens: mors inuida natos
 Præripuit misere: perierunt corpora fratrum:
 Fama uiget: nos ludibrio dilata iuuentus
 Spiramus: sed fama iacet: tenebrisq; sepulta est.
 Sub nobis mutata domus: fortuna tot annis
 Incolumis nostros cecidit non passa furores.
 Hæc matri reparanda domus: nil gratius illi:
 Nî quos fata præmunt: fractis consurgere bustis
 Aspiceret natos: & tempora prisca reuerti.
- Api. Vilia sunt hominum curarum milia mille:
 Quisquis sibi sapiens. Vnde hæc tibi somnia frater?
 Pellere pauperiem labor est mortalibus ingens:
 Cui nunq; speranda quies: nos sorte maligna
 Viuere per syluas uix ulla possumus arte.
 Et tecum germane loquor: nunc furta rapinis
 Mixta iuuant: plenîs nec prædæ ab ouilibus actæ.
 Tu noua tecta paras ruituræ attollere matri?
- Mar. Non noua: sed ueterum turpes reparare ruinas
 Da frater da chare manus: partemq; uirilem
 Sponte subi: uincat pietas inuicta laborem.
 Siccemus pariter lachrymas: & mœsta parentis
 Pectora (ne tales doleat genuisse) leuemus.
- Api. Cura superuacui pectus quatit: & cadit illa
 Spes sobolis talis: quæ cuncta repleuerat arua:
 Nec muris contenta suis: nec cespîte paruo.
 Ad paucos reditum: pascent nos auia baccis
 Arboreis: duplicisq; capax testudinis antrum.
 Dum tonat excipiet: uetosq; arcebit & imbres:

Pietas pastoralis

- Mater ubi alternis conuiuia festa diebus
Hic aget: atq; illic: geminoq; fruatur honore.
Mar. Coniugibus despecta quidem: & calcata superbis:
Ac dominas habitura nurus: quin flectere tandem
Et monitus meliora uide: genitricis uterq;
Septa colat: limenq; pius uenerator adoret.
Quod sacri tetigere pedes: non aspera mando:
Dulce est annosæ iuuenem seruire parenti:
Non in uestibulo pudeat me mane uideri
Sollicitum: quid mandet anus: quin septa laremq;
Molimur solitas sedes: hinc iussa nepotes
Accipiant: hic una domus: nec scissa potestas:
Nec fratrum diuisus honos: uicinia iunctos
Horrebit: uirtus gladio plus uera timetur.
Aggrediamur opus: quædam leuiores uidentur
Expertis: genitrix animos si cernat amicos:
Ipsa aderit: nam pascit oues pascitq; iuuenkos.
Vnde istas cumulamus opes: ars fallere matrem
Præterea & terræ salis altum infodit acruum:
Quem cupido quondam pecori blandita latenter
Miscuit: & sapidas aspergine reddidit herbas.
Insuper ad ueteres hortos: umbrosaq; tempe:
Saturniq; domos: & quæ possedimus ultra
Lydius at nunc hospes habet uiolentus: ab alto
Monte cadit riuus: qui dum sua rura reuisit
Impedit inualidam transuerso gurgite matrem.
Pons fuit hic manibus sanctorum structus auorum:
Tempus in hoc solidus: tacitos quo tramite fures
Qui gregibus pestem: syluis suprema parabant
Repperit argutus nocturno tempore pastor.
Collaq; sic meritis fregit tua dextera pontem.
Hunc (tibi nota loquor) timidas effudit in undas:
Dumq; nocere mihi properas: matriq; tibiq;
Et gregibus syluisq; nocet: sed iurgia mitto.
Hic nostram modo poscit opem: sine crimine quis
Non onerum partem tecum tolerare recuso.
Api. Compulit in facinus tua longa superbia: uerum
Cymba breuis fluuius est habilis transire uolenti:
Rus breue trans fluuium superest: fortuna solutos
Angustat: finesq; locat quos fratribus olim
Tam bene pacatis q̃ nos sumus: arcta priorum
Arcta extremorum confinia: at inter utrunq;
Laxarunt sua rura senes: audacia lætos:
Non stabiles habet euentus: en omnia demū
Ad primas rediere uias: forsque improba gyro
Lusit in assiduo: quid quod sine ponte manemus
Tutius in ripa: iam quantum ad cætera: serum est

Pastorium pathos

Aedificare domos: sub tempus uelle sepulchri.
Festi. Quid uano sermone leues consumitis horas?
Tertius ille minor quem uos calcare soletis
Syluas frater habet: iam fundamenta domorum
Sede locat patria: genitrix sibi rura: gregemq;
Credidit: & nati gremio secunda quiescit:
Parent cuncta sibi: curas agit ille seniles.
Ense puer stricto: laqueisq; sub arbore tensis:
Quis auium: furumq; pedes: & colla premantur:
Pinguibus arentes tenerisq; ab ouilibus arcent
Fortia claustra lupos: tristis non murmurat ursus:
Sanguineus non sauit aper: non sibilat anguis:
Non rapidi praedas agitant ex more leones:
Non aquilae curuis circūdant unguibus agnos.
Excelsa praedulce canens sedet aggere custos:
Pascua tuta silent: audit iam litus utrumq;
Carmen: & extremū calaber ligurumq; recessus:
Vndifragi sectiq; tenens conuexa pelori.
Si uocem extulerit: mauros turbabit & Indos.
Arctoasq; niues: austrisq; calentes arenas.
Imperat is uobis linguam cohibere: capellas
Ire domum: tondere inopes: negat almaq; mater.
Partem uteri uos esse sui: suppositaq; iurat
Pignora falsa sibi: ualidis te proxima misit
Apenninigenae qua prata uirentia syluae
Spoletana metunt: armenta gregesq; proterui:
Te longinqua dedit tellus & pascua rheni.

Mar. Hunc meminī audieram ueteres narrare bubulcos.

ExPLICIT Quinta Aegloga: quae Pietas pastoralis
intitulatur.

Incipit Sexta Aegloga: cui titulus ē Pastoriū pathos.

Collocutores: Pamphilus & Mitio.

Pamphilus. **Q**ui nemus omne uagis lacerandum praebuit hircis:
quid syluae meruere meae: quas rore superno
Iuppiter: & riuis spumantibus horrida coniunx

impiger atq; olim pyros fauosq; rigarunt:
Quae rabies: furtum segetes dum carpit acerbas
Spes & opes turbauit agri: cui pulcher hyberus
Delitiae nostrumq; decus sub tempus aratri
Non timuit prunos crepitantibus addere lauris.
Quis prope consultus dextram nisi noster apollo
Porriget afflicto: montesq; efferret in altos?

Mitio. Pastorum fors dura nimis: date frena capellis:
Indomitos cohibete greges: simul ubera multo
Lacte fluant semper: magicas non nouimus artes.
Et nunc ista fero: lites & iurgia secum
Instruit: ac saxum & nodosa repagula gestans.
Quot maledicta parat: poterit maledicta mereri

Pastorium pathos

- Ense perire suo: quod fert reperire uenenū
Blandicijs tamen aggrediar: quod pamphile & foenum?
Quos ue locos habitas: serum tua claustra reuifis.
Quid fremis: inq; graui quid feruet spiritus ore?
Pam. Furcifer hic mitio: nec te durissima fontem
Sorbet adhuc tellus: iam iam mirabile nullum est
Si nemus & messes atq; omnia uersa retrorsum
Spem lufere: manet: cui proh custodia culti
Credita ruris erat: cui grex pascendus in herba:
Intempestiuus perierunt mortibus agni:
Defessi perire boues: hirciq; superfunt:
Immūdiq; sues: quos luxus & ocia tendunt.
Turba nociua satis: nulla quæ lege per agros
Spargitur insultans: uirgultaq; dentibus urit:
Iam montes infecit odor: nostram ue quietem?
Mi. Haud inopina quidem patior conuitia: dudum
Singula nam tacito tractans sub pectore mecum
Vaticinatus eram: iam turbidus ille redibit
Nec serui tergo: nec amica parcere fama
Doctus: nec rigida pietatem admittere fronte.
Pamphile q; facile est alienam carpere uitam:
Quam durum seruare suam: te forte magistro
Segnior haud gregibus mors ac lupo ingruat albis.
Nequicq; baculoq; minax uultuq; uenires.
Nil tibi tristis hyems: q; cessura rigori
Illa tuo: nil uer dubium: nil morbidus auster:
Nil tibi de proprio uiolenta remitteret aestas.
Non uolucres segeti: uon mitibus umbra racemis:
Non caper arboribus: non bucula parceret herbis.
Pam. Nonne ego pastor eram dum trux turpissime rerum
Nereus aduerso pascens in uertice tauros
Transuersum deiecit humi: & pecus omne parabat
Vi rapere: oblector donec uiolentior ille
Exiit hirsutam tunicam: nudumq; reliquit?
Mi. Quid potius tractare uelim: quot tempore paruo
Tunc nostri cecidere gregem: est sanguine uallis
Pinguis adhuc: cæcis raptim congesta cauernis
Ossa iacent: horrore ferit locus ille tuentes.
Non tibi non alijs licuit mandare macello
Membra bouum: sparfere lupi: sparfere leones.
Pam. Hi tibi sint hostes: at non iacere magistri:
Non rauci siluere canes: quod sæua sinebat
Extremū fortuna fuit: spoliare cadentes:
Et niueas urbi dominoq; remittere pelles.
Tu mihi quid seruas nisi cornua dempta iuuenis?
Mi. Immo aurum teneris quod compensauimus agnis.
Seruo: habiles cyathos & agresti urgere labellum
Sudere non dignor: rudium miseretq; parentum.

¶ Pastorium pathos

- Adde q̄ ars duce me multum pastoria creuit:
 Discolor en talos tyrrheno ex more cothurnus
 Circūit: effulgens obnubīt tempora iaspis.
 Candida sidoneo ter murice: uellera tinxī:
 Et magnos peperī pro munere lactis amicos:
 Sponsa nitet gemmis: collumq; monilibus ambīt.
 Et mecum fulca secura recumbīt in umbra.
 Non glacie niuibuscq; rigens: nec solibus uista:
 Qualis erat tua turpis anus: dum rura teneres.
 Regia si spectes: non nostra uidebitur uxor.
 Tum passim herbosis ludunt in uallibus hedī:
 Inq; uolubris segnes innata uoluptas
 Conglomerat: uersatq; sues: non humida pastor
 Fortior antra subit: sedeo iaceoq; supinus:
 Multa canens quæ dīctat amor: nec crastina curans.
 Commissiq; gregis ludos & praelia cerno.
 Tu querulus tristisq; mane: tu dente canino
 Qua rabies tulerit semper mordere paratus.
 Pam. Ergo impure tuum nostris cum sentibus antrum
 Iungis: ut indignos habitus tibi praeferat uxor
 Rebus onusta suis: ut tu meliore cubili
 Membra loces: somnūq; animo uigilante fugacem
 Excipias oculis: & turbida uisa fatigent?
 Concilient ut uasa sitim: causasq; timendi
 Inueniant: & forma domus & chara supellex?
 Heu labor insanus precio cumulare periculum.
 Heu furor extremus nuptae parere furenti.
 Turpis adulteria: & thalami tot probra pudendi
 Dissimulare potes: nempe hī quos fingis amicos:
 Coniugis incestae facilem rapuere pudorem:
 Insidiasq; parant etiam tibi: lumina tolle
 Immodico depressa mero: lupus instat ouili
 Antraq; peruigiles circumstant ditia fures.
 Mi. Furibus est mecum contractum sanguine porci
 Foedus: & inferni descriptum regis in ara.
 Inuisum superis sacrum fortasse: profundis
 Acceptum sed iure deis: quibus are litatum est.
 Non ego: ieiunae confringant pinguia tigres
 Septa licet: totoq; fremens ruat aethere grando:
 Armentisq; satiscq; necem ferat acrior annus
 Pauper ero: tantum scrobibus cōmissimus atris.
 Pam. Tolle ferum scelerate sacrum quod iuppiter & sol
 Erubuit: potuitq; iubar sed acerba relatu
 Præterea qui pastor eras: per littora gaças
 Conuehis: & neutrum perages foeliciter: aude
 Linquere iam syluas: urbesq; uidere remotas:
 Pandere uela nothis: timidas temptare procellas:
 Vxor enim ignotis iam pridem in collibus errat:

Pastorium pathos

- Et patrium limen thalamūq; egressa pudicum
Illa sequetur ouans: meretrix famosa procosq;
Secum aget ardentes: & olentes turpiter hircos:
Herba peregrina quibus est iam grata paludis.
- Mi. Quid pater obscuris animos ambagibus implet?
Longaq; nunc seris: quid litibus oia frangis?
Desine iam mœstis alacres incessere uerbis.
Dic age: dic breuiter quicquid fert impetus & mens.
- Pam. Es meritis post uincla crucem: post uerba ferrum
Supplicium brene: quin potius sine fine dolores
Carceris æterni: uel si quid tristius usquam est.
Serue infide fugax dominoq; ingrata benigno.
- Mi. Surde senex gestare crucem: tolerare catenas
Si nescis fors ipsa tua est: uulgata per omnes
Fabula iam saltus: nereï terrore superbi
Destituisse gregem: medio nisi tristis apollo
Sistere calle gradum non uertere terga iubet.
Cætera nam sileo: domino q̃ fidus in arctis
Calibus: ut possint desertæ ignoscere caula.
- Pam. Et fugi & redeam: timui pastoris iniqui
Verbera nulla: metum facilem damnauerat ætas.
Flumine mox laui maculas: pallorq; recessit.
- Mi. Quæ tibi causa fugæ: cur claustra quieta relinquis?
Cur longinqua sequens quercus contemnīs auitas?
Quo clauē uesane rapis: quin obice rerum
Tantarum si cura premit: per moenia saltu
Errantes cogentur oues sub tecta reuerti.
Iam mihi magna placent: inopis non semper ouilis
Seruus ero: dulcem cantando nactus amicam
Formosus fieri studeo: solemq; perosus
Antra umbrosa colo: frontemq; manus recenti
Fonte lauans: speculum corydon bycantiū istud
Quo mihi complaceo dono dedit: omnia nouit
Et patitur coniunx: quoniam sua multa uicissim
Dura fero: uos ignotas iactetis amicas
Ne mea perpetuus foueat complexibus epy.
- Pam. Infamis mulier multisq; infausta maritis
Te foueat demens: prior epycus ille prophanos
Lapsus in amplexus cecinit per rura per urbes:
Quam coniunx generosa sibi: prior ipse puellam
Nactus ad irriguos secum traduxerat ortus:
Ludibrioq; habitus: uiuens moriensq; iacentem
Exedere canes: & permixcere sepulchrum.
Lætior haud alijs post hunc: sed adultera forsan
Fida tibi frui: & speculum corydonis habeto.
Aeternum gemit ille miser: pastoribus aula
Qui primus mala dona dedit: formosus haberi
Dum petis: & capiti circūdas ferta niuoso

¶ Pastorium pathos

- Ignotum tot pondus auis: dum floribus antrum
Dumq; pedes debite rosis syluestribus ornas:
Omnia depereant: quando impia sydera cœlo
Impia fors terris superant: intercidat una
Cura gregis rurisq; labor studiumq; peculi.
- Mi. Succedet mihi forte aliquis: nec longius hinc iam
(Augurio nisi fallor) abest: qui tristis inersq;
Mitia præduris excuset facta repullis:
Aluernasq; ferat romana in pascua sordes.
- Pam. Quem talem nisi te genitum fortasse minaris?
En tua tota fides: en laudum summa tuarum
Peiorem si terra parit: tunc optimus ipse:
Inq; nocens mitio: sic crimen crimine purgas:
Viue: late: gaude uitij maioris ad umbram.
- Mi. Lætus agam moriarq; dolens: tu tristis utrunq;
Nescio quid confusa tibi tua somnia seruent.
- Pam. Par fuerat meminisse quibus bonus ille periclis
Ista parauit herus: laniatum uepribus aspris
Vidimus: heu quanti miserans armenta redemit
Perdita sublimi ueniens mercator olympo.
Quam tenuis uictus: q; nulla superbia uerum
Ruris habet dominũ: tu luxuriaris in aruis
Illius: ipse sua sitiens ac sobrius aula est.
- Mi. Immemor ille sui: & rerum fateamur auarus
Perdere pauca timet: cum possit perdere multa.
Impiger horrendis pastores uocibus implet.
Hinc didicisse potes semperq; in fontibus agram
Merfat oues: tondere iubens ne uellera lappæ
Intracent: prohibeus ipsis a sepibus hircos:
Ostentatq; rubos itidem sterilesq; miricas
Pascua dura feris: famulos macieq; geluq;
Conficit: ac tolerare famem somnũq; sitimq;
Edocet: adiungitq; minas atq; intonat ore.
Dulcia cuncta uetat: iubet aspera: culta cauebis
Aua lustrabis: montes superabis iniquos:
Et pedibus nudis tribulos calcabis acutos.
Moribus his hominũ quisquã de sanguine natum
Vixerit: aut raros illi miretur amicos?
Contra ego me memini domino seruire potenti:
Perdere magnificum multis placuisse decorum:
Vis ubi nulla premit: quis tot consumet aristas
Quod pecus assiduo peraget tot gramina morsu.
Lasciuos errare greges hircosq; procaces
Coniugio gaudere linas: simul ipse iocabor
Dum mea me coniunx: dum me mea fuscipit epy.
Vos uestros seruate: meos mihi linquite mores.
- Pam. Infelix sic noscis herum: dum tutus in umbra
Stare putas: aderit prauertens gaudia luctu.

Grex infectus & suffectus

Mi. En uerbis terrere paras: praesentia fortes
Despiciunt: timidos etiam distantia terrent:
Explicit. VI. Aegloga quae Pastoriū pathos ititulat
Incipit Septima Aegloga cui titulus est Grex
infectus & suffectus.

Collocutores Mitio & Epy.

Qd Vlcior his syluis & gramine dulcior arui:
Gratior his antris: & gratior amne sonoro:
Huc modo dum sum solus ades mea nobilis epy.

Epy. Nulla dies mitio nostros obrumpat amores:
Nulla dies gremio caput hoc disiungit amato:
Vltro assum: semperq; adero: nec sponte reuellar.

Mi. O mea (nam dulce est animū exonerare loquendo)
Quid mihi nunc stomachi reris: praecordia quantum
Fellis habet sparsi: mordax modo pamphilus acri
Pertulit incautum penitus pupugit ue querela.
Multa minax absentis heri: sub fine pauorem
Obtulit intrepido: fortem fortissima contra
Frons stetit hac: nunc chara comes tot dulcia mecum
Tot laetos partita dies: partire quod instat:
Ne pigeat numeremus oues: numeremus & hircos:
Seu grauis iste redit: seu forsitan ille tremendus:
Vera licet fictis prae texere crimina uerbis:
Stet modo frons eadem conceptaq; formula fandī.

Epy. Lanigerum quodcunq; pecus seruare solebas
Mors rapuit: uel morbus habet: per gramina ripae
Pascitur alterius quicquid superesse dedit fors.
Febris iners: scabiesq; tenax: uiolentaq; tussis
Iam uacuos populantur agros: premit horrida sudor
Mucidus: & rigidi configunt tergora dumī.
Tutius abfuerint ne furtim lata pererret
Mœsta lues capita: & serpens per ouilia pestis.
Cætera nosse datur: refer huc tua lumina tantum.

Mi. Perge meum culmen: mea spes: mea tota uoluptas.

Epy. Ille procul fuluo quem cernis ludere tergo
Vertice conspicuum: setis cui discolor albīs
Barba genas mentumq; tegit: per pascua late
Noscitur immitis: frondisq; petulcus & herba.
Hunc etiam cupida metuunt perferre capellæ.
Sic duras tenerasq; tegit: sic pondere toto
Irruit: incumbens miseris: ueneremq; nec ullam
Respuīt: haud propriae fit segnior inde marita.
Quæ paribus signata notis: & concolor illi est.
Ipse quidem luxu immodico lassatus: & annis
Iam senuit: sed dura fero recalensq; senectus.
Ille procax parili totus licet ardeat aestu:
Viribus aut paribus fruītur: tamen omnia turbat

¶ Grex infectus & suffectus

Septa furens: nullasq; sinit dormire quietas:
Somnifera sub nocte capras: sed ouilia circum
Hunc animus non sanguis agit: dumq; aspera prensat
Colla: parum stabiles fregisse per oscula dentes
Cernitur: & uocis paulatim perdidit usum.
Quem quotiens uideo: subitus quatit ilia risus
Ut fragilis dumeta petit: crebrosq; hymenæos:
Et uenerem geminis ardentem naribus omni
Tempore suspirans: in amœnū spargit odorem.
Tertius ille autem distortis cornibus atra
Luxuria efferuens: teneris male temperat hedīs.
His multum debere memor grex ipse fatetur.
Horum nanq; licet circum præsepia natos
Enumerare leues: atq; agmina multa nepotum.
Ille piger senio torpet: tamen integer olim
Ludere clam solitasq; uidēs nec spernere frondes.
Nunc iacet & cœlum spectat: fremit arduus ille
Proceris gaudens per syluam insistere ramis.
Permeat hic ualles: longinquaq; rura peragrat.
Esurit ille rubos: fulgentibus imminet undis:
Nec tota satianda tago sitis arida feruet.
Ille ferox animi est: & torua fronte minatur.
Ecce duo obnixi qui sese cornibus urgent:
Sape graues syluis olim exciuerē tumultus.
Nunc multo grauiora parant: atq; omnia turbant.
Ecce duo: morbo impliciti: niger iste quiescit:
Candidus ille silet: scabiem fricat ille uetustam.
Ille quidem toto quem cernis ab agmine solum:
Natura generosus erat: sed non sua tondens
Gramina: sollicito tacitus terit auiā gressu.
Huic hostis generosus item: sed fractior aui
Contigerat: mors alterius certamen utrimq;
Conclusit: non ille uadum torrentis aquosi:
Nec iuga saxosi timuisset carpere montis.
Dux gregis ille fuit: dum nostra reliquimus ultro
Pascua: primus iter rapidum per lubrica flexit:
Hortatus socios: mox cætera turba secuta est:
Vnde diu latos uacui deduximus annos.
Mi. Quid non longa rapit sæclis fugientibus atas?
Decreuit grex ecce situ: quæ culpa? quis error?
Immortali homini nihil est: moriemur & ipsi:
Ludere consilium: nec cunctis temporis horam
Perdere segnicie: curasq; repellere inanes:
Nī forsan tibi nunc aliqd dilecta uidetur.
Epy. Prorsus idem: quid enim restet: quæ metha malo?
Ambiguum licet ille grauis promissa minasq;
Iudicis inculcet: res pendet: ludere præstat
Interea: & primam morti subducere partem:
Quam sapiens (sileo semper tibi fida profecto)

¶ Grex infectus & suffectus

Hortatrix: atq; una fui: presentibus uti
Et gaudere bonis: fato mandare futura:
Blandicijs profugam assidujs reuocare iuuentam
Et retinere manu: properante obstare senectæ.
Sed si tangit amor pecoris muliebribus aurem
Consilij aduerte tuam: nisi forte pudori est.

Mi. Dic mea: dic requies thalami: dic gloria nostri.

Epy. Hos tibi fecunda matres peperere: quid haeres
Sanguine in externo: ueteri noua cornua ferto
Floribus ex nostris ornabimus: ipse latentem
Pamphilus haud noscat fraudem: nec degener istis
Sanguis inest: humilisque gregis uestigia seruant.
Liquitur hic luxu: non pinguis pabula desint.
Coniugiumq; frequens: implebit ouilia solus:
Errantes studet ille senes transcendere cursu.
Et facit ille gregem longe post terga reliquit.
Aspicis hunc timidum: meditatur prendere truncos
Mordicus: & uacuas cornu iam uerberat auras.
Mitior hunc uultu sequitur: mihi crede sed ille est
Sæuus & hirsuto multum truculentior apro.
Me spectante parem: spoliauit coniuge nuper.
Et potitur camuris nunc naribus: ac pede torto:
Illum inopem pauidumq; procul per saxa fugauit.
Hi turpes rerum indocti latitare uidentur:
Sed sine consuescant: discant tot multa magistris.
Hi duo: quid reris: fatales dulcibus uuis:
Iam pingues mustoque graues: hos pelle reuulsa
Perfolues: laso uenient triaterica baccho.
En tibi par aliud ratio famuletur amor:
Dignum laude licet blandis prope lenius agnis.
En quoq; par longæ uarium: pratum ille modesto
Dente metit: ramos patulo uorat alter hiatu:
Teq; tuūq; gregem rauca qui uoce fatiget:
Meq; fugare locis informi murmure possit.
Spumens ac frendens: tunsoq; simillimus urso.
Hos tibi romulei miserunt gramina saltus:
Cætera de nostris ueniunt tibi gaudia lucis.
Hinc alij atq; accrescent: fors bona fauebit.

Mi. O pecudum decus eximium reginaq; syluæ
Perge age iunge greges: & cornua flore rubenti:
His quoq; circunda: grex esse uidebitur unus.
Hunc tamen oblita es: numeris ascribe moerentem.

Epy. Inuisa regione satum quem florea uallis
Pauerit: & nostri spretorem miserit arui.
Pellicis imperio premimur: moribundus & unus
Introeat: spaciumq; breuis non explicat anni.

Mi. Iram frange precor: nil unq; tale iubebo.
Iam tranquilla redi: quoniam res magna peracta est:
Pamphilus ut redeat: iustas licet arte querelas

Diuortium

Abstulimus: tacitam moestus sibi sorbeat iram.
Epy. Multa quidem curis dedimus: iamq; hora quietis
Nos uocat: accelera: glacies premat hispida colles:
Brachia nos nexi: molli iaceamus in ulua.

Explicit Septima Aegloga quæ Grex infectus & suffectus intitulatur.

Incipit. VIII. Aegloga cui titulus est Diuortium.

Collocutores: Ganymedes & Amyclas.

Gany. **Q**uo fugis: expecta: liceat condiscere causas
Discidij: tu nostra puer (nisi fallor) amabas
Pascua: quo pastos abigis cum matribus agnos:
Ingrate atq; oblite mei rerumq; mearum?

Amy. Parce parens damnare tuum: puer ipse: fateris
Hac paui regione gregem: tibi latior annis
Tunc animus fuerat: nunc intractabilis asper:
Me quoq; uiuendo patientia prima reliquit.

Gany. Consilium solet esse senum: iuuenūq; uoluptas:
Tu mihi delyras senior: tum uallis amator
Vnius deserta uagus nunc auia tentas.

Amy.  Propositum mutat sapiens: at stultus inharet:
Res: tempus: fortuna: locus: firmata sequentur:
Consilia alternant: macie turpiq; ueterno
Terga pecus confecta gerit: l'qualentia fentes
Vellera dilacerant: quid agam? nec pocula fontis
Tuta: nec herbarum morsus: succiq; salubres:
Ipse aer suspecta mihi suspiria reddit.
Quin iustam permitte fugam: & miserere coacti:
Nam potes: ecce etenim ueni ad tua gramina pauper:
Pauperiorq; domū redeo: non lacte nec hedis
Auctior: inuidia & solis iam ditior annis.
Adde supercilij pondus: quod non grauis æquet
Aetna iugis: non ossa rigens: non altus olympus:
Id prius æquanimis tuleram: indignatior atas
Est senium: rugæq; animos in uerba ministrant.
Triste senex seruus: sit libera nostra senectus.
Serua iuuenta retro est: seruilem libera uitam
Mors claudit: memor usq; mei subsiste ualeq;
Me fatum tentare meum sine pascua circum.

Gauy. En animi seruum memoris: sic omnia uetus
Abstulit: has mereor grates: hæc premia reddis:
Ut nil præstiterim: multum licet impar: amaui.

Amy. Verba quidem uerbis: res rebus: purus amori
Sed solus debetur amor: gratulq; memorq;
Sum: quia te semper postq; mihi notus amaui:
Et dum uita comes si quid mihi credis amabo.

Gany. Quo properas igitur: quæ te magis allicit ora?
Vnanimes quæ causa repens disiungit amicos?

Diuortium

Perdit enim serui nomen cui libera mens est.

Amy. Aspicce fatigero tangentem uertice montem:
Nubila tum grauida fontes tellure crepantes:
Vnde ruens pelagis confunditur unda quaternis.
Aspicce praruptum scopulis extantibus alte
Ire sub astra iugum: lapis ille imperuius olim:
Punicus asperlo donec sibi pastor aceto
Fecit & igne uiam: nostris pastoribus ingens
Diluuiū stragemq; ferens: hoc forte per aestum
Solus ego ac sitiens nuper sub colle uagabar.
Gallias erranti sese comitemq; ducemq;
Obtulit: & uiuas digito direxit ad undas.
Pragredior uallesq; nouas & pingua late
Rura noto: sed saepe oculos in terga reflectens:
Iam latus hoc fordere mihi: iam turbidus aether
Coepit ad occasum: iam sydera moesta uideri:
Agnosco ualidum patriæ reuocantis amorem:
Illic & uiolæ melius per roscida pallent:
Per dumata rosæ melius redolentq; rubentq;.
Purior ac patrius illic mihi prata pererrat
Riuus: & ausonia sapor est iam dulcior herbæ.

Gany. Spreta fides igitur comicum tam certa priorum:
Cum quibus & niueas laqueis: uiscoq; columbas
Gaudebas damascq; plagis temptare fugaces.
Cum quibus & caprea soles: umbrasq; leonis:
Et tauri flores: & adultæ uirginis uuas
Carpere: uel fando cunctantem impellere noctem:
Vel longum breuiare diem sermone iocisq;
Et requie molli durum condire laborem.

Amy. Nil spretum nisi sylua ferox pastorq; proteruus:
Et gignens aconita solum: & moestissimus auster:
Et plumbo infecti latices: & turbine tortus
Puluis: & umbra nocens: & grandinis ira sonora.

Gany. An prius ista tibi tam longum ignota per æuum?

Amy. Hora prius fateor: tenuit me pestifer usus
Luctantem: me uester amor: me forma puellæ
Blandior illecebris: sed iam cum tempore sensim
Omnia mutantur: studium iuuenile senectæ
Displicet: & uariant curæ uariante capillo.

Gany. Sic uulgo iam notus eras: nec charior alter
Vel mihi uel socijs: syluis errabis in illis
Et mecum mansisse uoles: cupiensq; reuerti.

Amy. Nil penitus non esse potest: fortuna gubernat
Res hominū: ualet illa pijs obistere coeptis.
Illa fauere malis: at si præsagia quicq;
Nostra ferunt certi: leuis est ad prima recursus
Principia: huc genitor profugus me ruris auiti
Finibus infantem rapuit: ripaq; palustri

Exposuit miserum: atq; abiit: per quattuor inde
Sermo lustra tibi: nulla est iniuria: iustus
Libertatis amor: patrij quoq; cura sepulchri est
Tempestiua seni: iam tandem absiste precari
Atq; iterum pater alme uale: dextramq; relaxa.

Gany. Ah miser: & merita quis te cum laude canentem
Audiet: aut leui describet carmina lauro?

Amy. Expectando quidem fessus raucusq; canendo
Attuleram: uereor: uocis fastidia nostra.
Fors alijs placiturus eo: non una per omnes
Est hominis fortuna dies: nunc mane quietum:
Turbida lux sequitur: nunc matutina serenus
Nubila uesper agit: sic tempestatibus atris
Tutus adest portus: sic littora puppe tenentes
Tempestas inopina ferit: spes: terror ubiq;
Iuxta habitant: fortuna uaga est: & protinus inter
Quamuis pressa manus: ceu lubricus effluit anguis.
Nil habet ista magis tua nunc opulencia certi:
Quam mea paupertas: ubi pluris signa fauoris
Et minus est fidei: sed iam me gallias audi.
Sollicitat damnatq; moras: & phoebus hyberum
Vergit ad oceanum: montem uix occupat altum.
Balatu moueor pecoris: nec candida dulci
Mugitum geminas cessat reuocare iuuenca.
Ire libet: liceat: nusquam sunt carmina tanti.

Gany. Men iuuenem pauisse domi: & finxisse docendo
Vt doctum noua sylua senem nouus hospes haberet:
Sit labor agricolis longus: breuis inde uoluptas.
Arua domant alijs: sic fessus nauta quietis
Inuehit ancipiti delatas aequore merces.
Nosco meum sydus: alijs utenda parauit.
Fatum agnosco tuum: primis nam pauper ab annis
Pauper eris senior: pauper morieris amycla.
I: tamen: ipse meis (quando hoc immobile uotum est)
Te sine (quod nollem) iam solus pascar aceruis.

Amy. Ipse per aetatem mediam uel colle uirenti:
Valle uel umbrosa: nitidq; in margine fontis
Solus apollinea modulans sub fronde sedebo:
Lanigerumq; gregem pascam: & loca florea circum
Mellificas imitabor apes: te diues habebit
Sylua: sed urentes turbabunt ocia: cura.

Explicit. VIII. Aegloga quæ Diuortiū intitulat.

Incipit. IX. Aegloga cui titulus est Querulus.

Collocutores: Philogeus & Theophilus.

Philogeus. **Th** Eu lacera fragmenta domus: heu sydus agello
Triste modo: quid uotiui nunc stirpibus imbres:
Quid pecoris studium: segeti quid lenior aura:

Quertulus

Aut soles ualuere p̄ij: fors aspera ruris
Semper & immenso tenuis fortuna paratu.
Agricola infelix: ubi primū cornua tollens
Floriger annus adest: circum sua gaudia fertur
Rastra manu uexans rigida: scabrosq; ligones.
Urget in arua boues: sulcoq; arnisus inharet.
Inferit hic ramos: herbas hinc ungue nocentes
Vellit: & utilibus lolium secernit auenis.
Hinc fodit: & ripam bellis brumalibus armat:
Inde leues pronō diuertit tramite riuos.
Nil uel inexpertum linquens: uel segniter idem
Expertus: sed cuncta nimis: tum nubila ab austro
Suspicit: & secum pluuias incusat inertes:
Trāquillosq; dies operi: uentosq; fauentes
Inuocat: ac cœlum precibus uotisq; fatigat.
Heu misero: postq; sudore exhaustus anhelō
Spes cernit florere suas: iamq; horrea laxat:
Ecce furens fata culta truci uertigine nymbus
Obruit: & longos anni breuis hora labores
Vna necat: pereuntq; senī sua somnia fesso.
Adde repentinam rabiem torrentis iniqui.
Adde peregrinas uolucres: populantia campum
Agmina: tectorum lapsus: incendia: fures.
Adde grauem: morbos: nebulam: mortesq; pluentem:
Immemoresq; gregis casus: hominūq; ruinas.
Qualia nunc flemus mœsti: & uix flere relictum est.
Hora metus mortis quoniam trepidantia claudit.
Heu heu quo me cura tulit: quo cæcus habendi
Traxit amor: poteram uulgo quot tutius artes:
Quot rerum temptare uias: cur ultima lecta est
Paupertate labor mixtus: semperq; malignam
Scalpere tellurem querulasq; audire cicadas:
Theo. Quid gemis? aut quæ nam usq; adeo fortuna molesta est?
Philo. Quid gemis? heu mea rura uides: fons ecce laborum
Atq; operum: spes ecce meæ: quid uiuere longum
Fert homini: nec desinimus nocitura precari.
Quæ modo dumiuagis fuerint angusta capellis
Antra uacant: raræq; procul languentis oberrant
Reliquiæ armenti: quas mors uiolenta per orbem
Spargit: & insequitur: non æquoris obice uasti:
Non cœli terræq; situ: non deniq; totis
Caucaseis arcenda iugis: sic omnia uictrix
Proterit: & latos depascitur ordine saltus:
Exemplis caritura quidem tenuere nepotum
Vix habitura fidem: superant si forte nepotes:
Nec finem modo fata parant imponere rebus.
Theo. Posse mali causas ingens solet esse leuamen
Discere: si nosti quæ tantæ pestis origo?

Querulus

- Philo. Multa dei calant hominem: non omnia seruus
Clausa uidet domini: cum sit mortalis uterq;
Quæ tamen in syluis crebrescat fabula dicam.
Cerne sinus pelagi geminos: quos maxima frangant
Flumina & aduerso dirimentia gurgite terras.
Hunc hirsuta premit glacies: & bruma perennis
Asperat: horrificoq; infestant murmure tigres.
Illum blanda rosis non arefcentibus ætas
Temperat: & uirides fantur per plana uolucres.
Hos alio prius orta sinus afflauerat orbe:
Hinc nostris translata lues: nunc regnat in aruis.
- Theo. Quo mare tam facili transiuit & æthera saltu?
- Philo. Illuc heu cupidi: stimulat sua quæq; libido:
Peruenit pars una gregis: fucosq; uenenî
Et diras gustauit aquas: atq; inde reuertens
Mox peritura cohors late contagia fudit.
Pastorem pastor: pecudem pecus inficit ægra.
Spirat enim faniem inclusam pulmonis adusti
Ad latus infaustis aspirant flatibus euri.
Intereunt iumenta boues duriq; bubulci:
Graminaq; & segetes: uacuis moribundus aristas
Imminet: & culmum componit messor inanem.
Nec morbi modus ullus adest: uelocibus alis
Mors uolat: externos frustra glomeramus odores.
His etiam sua pestis inest: quid demoror? omnes
Occidimus: nisi fata minas placata remittunt.
Quantq; quid reliqui est miseris? iam falce recurua
Vltima rura metunt: graia qua uectus ab ora
Marmoreoq; nouam designans limite syluam:
Indyta magnificus posuit confinia pastor.
- Theo. Falleris ah demens: nam iusta & sera merentes
Pastores ferit ira dei: populumq; rebellem
Effugite o cæci: securaq; poscite regna.
- Philo. Nec mora tuta quidem: nec iam fuga tutior usq;
Obuia mors peruertit enim: & quocunq; mouerem
Mille parat medio laqueos: & retia calle.
- Theo. Accipe consilium propere: cunctatio nanq;
Lenta fuit semper subitis inimica periclis:
Huc huc uolue oculos: hic est uia recta: sine ullis
Insidijs: prædura quidem calcataq; paucis.
Sed super aerios arcto quæ tramite colles
Perferat: & sistat fessum in regione quieta.
Illic uita habitat: leua sed olentis auerni
Sulphureis stant stagna uadis: ibi lurida mortis
Signa uides: atroq; polum nigrescere fumo.
Hos euade lacus: dextrum mihi prende cacumen.
- Philo. En nitari: tu me sequere: & miserere iuuando:
Quin prior: l. tardum attollens & porrige dextram.

Laurea occidens

Theo. Vltimus ac primus adero: pellamq; trahamq;

Tu modo: nec labor officiat: tibi solus adesto.

Explicit nona Aegloga quæ Querul⁹ intitulat^r.

Incipit decima Aegloga: cui Titulus est

Laurea occidens.

Collocutores: Socrates & Syluanus.

Socrates.

Syluanus.

Quid siluane doles? tantæ quæ causâ querelæ?
Heu socrates quem uix reliquum fortuna ruinae
Dura sinit nostræ: nescis dulcissime nescis

Quid querar? & q̃ iusta mihi sit causâ querelæ.

Socra.

Auguror: expecto sed rem cumulatius ex te:

Fare miser misero: non aspernabere luctus:

Participem comitemq; ioci quem latus habebas.

Syl.

Nescis præualidi rumpunt ut uerba dolores:

Quid me chare iubes fari? pastoria nunquid

Materia est lugere deas? tamen accipe quantum

Singultus lachrymæq; sinunt: fuit alta remotis

Sylua locis: qua se diuersis montibus acti

Sorga nitens rhodano: pallensq; ruentia miscent.

Sic mihi quo fueram tusco translatus ab aruo:

Sic hominum res fata rotant: fuit aridulum rus

Dum colui indigui: atq; operi successit egestas.

Id reputans: aduersor enim piguitq; laborum

Pertesumq; inopis studiij: tandemq; relinquens

Arua inarata: uagis syluis spaciabar apricis.

Verum inter scopulos nodosaq; robora quercus

Creuerat ad ripam fluuij pulcherrima laurus.

Huc rapior: dulcisq; semel postq; attigit umbra

Omnis in hanc uertor: cessit mea prima uoluptas.

Rusticus ardor erat: sed erat gratissimus ardor.

Ille mihi insueto: qui me mortalia prorsus

Oblitum imemoremq; mei meminisse iubebat.

Hanc unam: curasq; & totum huc uoluere tempus:

Sic ruris desertus honos: & quicquid in enses

Præcipitat: pars parta animi: pulsiq; tumultus:

Has ego delitias & opes: hæc regna putau.

Socra.

Perge: quis interea neglecti uultus agelli?

Syl.

Nec noui: nec nosse uelim: mihi laurea curæ

Sola fuit: sed iam socrates ignosce: gemendum est.

Socra.

Immo age perge precor: pariter lachrymabimur ambo:

Et pietas: communis enim & iactura dolorq;

Syl.

Laurea culta mihi: nec me situs asper & horrens

Arcuit incepto: proprijs nec uiribus ausus

Externos uolui consultor adire colonos.

Nec longæ tenuere uia: nec tempus iniquum

Ac durum tardauit opus: uulgata tenebam

Ascræi consulta senis: tamen altius ire

Mens erat: ac uarijs artem solidare magistris.

Laurea occidens

Dux mihi nullus erat: nisi amor feruorq; uidendi.
Primū iter in latum qua pulcher mincius unda
Formoso de patre oriens: interluit arua:
Hic uenetum celsis extantem in milibus unum
Pastorem agricolam: bellatoremq; uicissim
Conspiciens: dextra modulantem in uertice ripæ:
Accedo: & breuibus percontor plurima uerbis.
Iussus ab hoc asiam: graiasq; inuisere terras.
Vix atthesim attigeram patrij qua limina montis
Deserit & latos fugiens amplectitur agros.
Ecce uerone per prata uirentia martis
Ire duos uideo: canit hic: legit ille salubre
Herbarum genus: & pecori bonus applicat agro:
Prægregior: calidusq; aponus: gelidusq; timauus
Iam spacijs æquis aberant: dum peruigil alas
Intempestiuum quatiens dominoq; molestum:
Perstrepiat hic leuo uillæ de culmine gallus.
Mox baculo excussus mœstum cantoribus omen
Præbuit: hinc nullo resonantia littora cantu
Procuruosq; sinus tacitus sequor: obuia tandem
Rura sonora animum uocemq; & uerba dedere.
Latior illa lego: smyrnam sub fine uiarum
Peruentum: cæcumq; senem: sed multa uidentem
Cōuenio: isq; italo missum ut cognouit ab orbe
Prosiluit: dextramq; dedit: nemorūq; profundo
Accubitu & fusca sessum statione recepit.
Attonitumq; manu penetralibus intulit umbris,
Figo oculos: & cuncta libens & singula circum
Visa noto: cupidumq; fruar sermone senili
Insolitus: dii qualem hominem: quod diuite cœlo
Subtrahitis: terræ rarum breue munus agentis:
Hunc magni circum comites latissima turba
Stabant: iuxta autem cunctis sublimior unus
Cui grege de toto supremus cesserat hircus
Fortunas casusq; ducum regumq; canebat.
Nec casum tamen ille suum sortemq; repostam:
Nec tristes in terga canes instare uidebat
Regibus: attonso flendus post fata capillo.
Iuxta alter senio infractus: iuueniliter alta
Voce canens: furere hinc dictus: sed uoce furorem
Diluit: & falso quæsiuit crimine laudem.
Sakra sacerdotes canit hic: ille arma tubasq;
Inde deum fauor: inde uirum: per bethica captum
Rura lupum saluumq; gregem: iaculoq; lyraq;
Frætus: & hinc clarus factis: hinc cantibus alter
Altera solliciti laqueos cantabat amoris.
Docta puella: choris doctorum imixta uirorum,
Cynnameus roseo calamus cui semper ab ore

Pendulus: & dulces mulcebant astra querela.
 Hanc choris late cunctata bacchide notus:
 Hanc clarius charam suspirans carmine lyden:
 Et quem cyrenis genitum dedit africa nilo.
 Hanc thenis famio pastor stupet igne liquescens:
 Nec minus hanc nostrisq; procul mirantur amantes,
 Voce omnes humili & querula simul impare cantu
 Pone senex pueri in gremio: uix mole soporis
 Lumina pressa mouens: lenibat cantibus auras.
 Mox siluit uictus: cesserunt carmina somno.
 Argutum dirca palus amisit holorem.
 Vidi sidonio pastorem rure profectum:
 Annua quem morbi uis extinctura diebus
 Angeret alternum natalibus: ultima donec
 Vna animam: doctosq; modos abrumperet hora.
 Vnū ibi cecropij contemptum in gramine saltus
 Ingenio rectum: claudum pede: uoce calenti:
 Spartanos in bella canens accendere uidi.
 Vnū uoce parem: summis per littora lōge
 Solum: qui populo leges & iura dedisset:
 Iamq; senex musis operam daret urbe relicta.
 Vidi aquilam calui circum uolitare sedentis
 Ore caput: pleno simul illum lumina campo
 Defixum: immota meditantem carmina fronte.
 Vidi expectatum ut caneret dulcedine multa:
 Obriguisse senem: uocemq; in faucibus imis
 Artatam: musas animam rapuisse putares.
 Sic cubito incumbens similisq; erat ore canenti:
 Phistula pallenti pendeat muta labello.
 Hunc alius musis qui pastor amicior almīs
 Sed minus acceptus syluis: & uictor ut arte
 ludicio sic uictus erat: de more solebat
 Victorem ridere suum: q; iudicis aequi
 Carmen inops: q; fama uagis incertior auris.
 Vidi qui fixas raperet spes: adderet iras:
 Cogere ad certam flammanti carmine mortem.
 Vidi alium syluis pulsum: mox carmine dulci
 Extinxisse odium: quid enim uim carminis aquet?
 Temnere opes tanti causam preciumq; laboris.
 Vidi aliquos artesq; bonas celebrare: sed inter
 Hos fuit ampla sacri lege hac quæ iura parentis
 Stringeret: hoc merito doctas laudaret athenas.
 Vidi qui multo assiduus numeroq; superbus
 Lacte præmens fragilem fiscellam rumperet acri:
 Qui noua macâtis oneraret plaustra iuuenis:
 Qui sale terga bouum tereret laniata rigenti:
 Et qui sparsa sedens pastorum furta notaret.
 Biblida qui uetito cantaret amore furem:

Laurea occidens

Qui caneret solem ac lunam: stellantiq; arua
 Scinderet: & uolucris cœlum signaret aratro.
 Qui uiuos plectro lapides aptaret ouili:
 Colle sub aonio funesta ad pabula ripa:
 Quiq; palæstrita & pictor: primoq; sub æuo
 Cantor: ad extremū cursorq; aucepq; fuisset:
 Quiq; illi fesso tandem & dormire paranti:
 Ex leuibus calamis puluinar strauit amœnū:
 Quiq; truces cantu solitus mulcere leones:
 Iusticia & cithara insignis: uenerabilis annis.
 Incola sylvarum primus quem thracia uidit:
 Aeream dulci rhodopen dum uoce moueret:
 Præcipitem fidibus blandis dum sisteret hebrum.
 Huic duo per montes auritaq; rura canenti
 Perpetui comites: dextra germanus inharet:
 Filius at leuæ: tegit illum linea uestis:
 Iste facer musis plenum de fonte reposcit:
 Atq; pium cratera patri porgebat anhelō.
 Deniq; graiorum latebras: aliaq; uireta:
 Hebraosq; graues: & carmine trita minaci
 Gramina iordanis: peregrinaq; nomina lustrans:
 Mollia rura arabum: salis indiga: ditia mellis:
 Affixusq; oculis animoq; intentus ubiq;
 Vidi alios: atq; inde alios: non omnia passim
 Visa sequor: uidi sicula regione creatum:
 Ac socios quibus horridulum cantare uoluptas
 Prima gregem latebrisq; minas uitare leonum:
 Quiq; alios supra tenet ortum a carmine nomen:
 Quiq; gregem calida gelidus male pauit in ætna:
 Qui docet ephesios: tyrios qui rumpere campos:
 Docto ac altifono diuulsus ab agmine tandem
 Flector: ibi unū omnes nemorū quem turpis habebat
 Angulus: & tenui ridebant pascua nutu:
 Nudus ut ille iugis macidum raucumq; canendo
 Indignum magni prædonis retulit aurum.
 Sed quid ago: aut patrijs quorsum peregrinor ab aruis?
 Doctior inde domū fesso dum remige portu
 Brundusij egresso iuuenis placidissimus alto
 Occurrens: trepidam porrexit ab aggere dextram:
 Maternūq; ostendit auum: per rura iacentis
 Apuliæ: calabrumq; nemus sub ualle galesi.
 Ingenio agricolam nulla tamen arte colentem.
 Pana uirum uideo: nec secum multa locutus
 Eminus aruncæq; ducē populūq; saluto
 Moris aratores ueteris: quaq; aufidus: æquor
 Fertur in hadriacum: patrio sub sole perustum
 Libertum: dominoq; lyra: gregibusq; placet
 Alloquor: inde alius gelidi fulmonis alumnus

Laurea occidens

Multa iocans: longamq; aciem per opaca latentum
Ostendens digito: fuscis aperire recessus
Tentauit frustra: uultus densissima nubes
Texerat ambiguos: dubium uix murmur ad aures
Aura tulit: quantum in nobis obliuia possunt:
Vnus in hoc numero gaudens se condere uiuo
Fonte: deus numerum fluuiorum arsisse puellas:
Aequoreosq; alius memorabat carmine nostro
Insuetum cecinisse deos: aliusq; uicissim
Montanum imparibus carmen uariabat auenis.
Hinc procul & latio & musis charissimus afiris:
Fluctuagosq; alius numerans sub gurgite pisces:
Aurea plectra apio cinctus uiridante monebat.
Hinc alius rutilumq; crocum & candentia carpens
Lilia: tum uarios iungebat in ordine flores.
Multa libens sileo: sed iam mihi nota tenenti
Longa breui stringens aderat suspiria cantu:
Paupertas quem tuta iuuat: quem delius ardor:
Caluus amans alius restinctam carmine flammam
Flens quasi supplicium: properataq; tempora fati:
Accensamq; alius dubium Romanus an umber:
Umber erat: uariaq; minax & blandus amica.
Notior inde alius fluuiali occurrit aquino
Turbidus aspectu: & ruralibus horridus armis.
Arpinati alius sylua cui pauper amictus:
Victus inops ac difficilis: sed lata canenti
Frons erat: & nullo uitae turbata labore.
Protinus hinc geminae tangebant sydera quercus:
Vnde salus pecori bis contigit: altera dextra:
Altera laus linguae: magnos breuis herba iuuenkos
Fecerat: una duos contexerat umbra gigantes.
Hinc quoq; uidi alium campano carmina fastu
Implentem: & multum gracili sibi uoce placentem.
Sic uenerabundus dominantis limina romae
Ingredior: stupor hic tremulam suppressit auenam:
Pila inter tristesq; tubas: strepitumq; rotarum:
At studio rerum latia dum demoror urbe:
Forte procul tenuem dubia uix aure susurrum
Grandaeui senis excipio: doceorq; paternis
Hunc primū cecinisse modis: audentior alter
Posteriorq; humili quis de stirpe parentum
Ortus: & adriacum iussus migrare pisaurum
Posthabuit: quem tunc horrebant undiq; colles
Agrestem summo imperio praepone musam.
Non ueritus faciliq; hederæ summittere lauros.
Hic alienigenam seruum quem carcer honestus
Fecerat ingenuum: multaq; ornauerat arte:
Audiui cantare hominū moresq; dolosq;

Laurea occidens

Atq; metus curasq; senum & iuuenilia furta:
Lenonumq; artes: iam tempore murmuris afri
Oblitum: atq; italo textentem pectine carmen.
Hic cui religio syluestris & inclyta rerum
Copia: & ignoti nihil usquam ut prisca ferebat
Fama: sed elonides carmen cum uellere fuluo:
Qui canit alciden: qui thesea: quicq; cruentis
Fratribus in campum adductis ad mollia castra
Transfugit occultus: blandumq; cupidinis agmen:
Reliquias qui troia tuas: & frustra legebat
Meonio neglecta seni: qui prole decori
Coniugio memori studiosum ornauerat usum:
Qui mensas uersuq; gregem laceraret edacem:
Et qui laudata caneret conuitia gentis.
Partior hunc nono pascebat caseus anno.
Hunc uideas dextre rigidam gestare securim
Ornantem officij generoso gutture pompam.
Hunc grauitas: illum censura sauerior offert.
Hinc tenui uinclo profugos qui nexuit annos
Saecula: pierio nifus cohibere furore:
Pennatas musas qui martia traxit ad arma:
Punica dum latio ferueret in orbe procella:
Indixit qui bella feris: syluasq; tumultu
Miscuit: apta uagis cudent uenatibus arma.
Tramite qui largo troianū anthenora colles
Duxit ad euganeos: necnon comitante marito
Bis raptam fessis helenam qui reddidit argis:
Phyllida qui querula: pheacum qui uoce latina
Luxuriem moresq; canit: quicq; hectora supra
Ilion euersumq; troiamq; a stirpe reuulsam:
Quicq; nurum dotemq; ioui conuexit opimam.
Linquo senem qui discipulum per prata sonorum
Hesperiamq; tubam docto conflauerat ore.
Linquo uirum fortem posita qui casside moestus
Sed iussus plenusq; irae saliebat honesta.
Vnde alium domini uidi meruisse fauorem.
Vidi qui quotiens libuisset ferrea blando
Pectora molliret cantu: lachrymasq; moueret
Hic quoq; (nam memini) miserum solabar amantem:
Amentemq; magis: cui uis erat ampla canora
Vocis: & ingenij magnus sub pectore torrens.
Est amor exitio pastorum publica pestis.
Blandus ubi immitem peperit furor ille furem:
Forte oculos auidumq; animū septena per antra
Nobilibus famosa iugis: & opaca mouenti
Collis: ubi arcadiae celeberrima carmina nymphe
Arte patrum curas fugitiuaq; uerba ligarat:
Monstratur: celsaq; uirens in uertice laurus:

Laurea occidens

Admonuit nostræ: & dulcem renouauit amorem.
Tum frondosa ingens ramis altissima fagus
Optatamq; gregi gregis ac ductoribus umbram
Fundebat: uolucrum sedes aptissima nidis:
Assiduumq; sonans uarioq; exercita cantu:
Atq; hic multa iubens eseda uerendus acerua:
Formosulq; gigas lucum omnem fronte serena
Et pastoralis uis maiestate regebat.
Ocia ni desint nulli usquam uoce secundus:
Dulciter ille quidem q̃q; rauescere curis
Musa solet: sed rara canens: frontesq; canentum
Exornans niueis uittis: & fronde perenni.
Ille ubi pastoris properatum funus amati
Fleuit: inexplicitum carmen mandasse duobus
Fertur: & angusta limam sub lege dedisse
Iusso alacres instare operi: rerumq; suarum
Immemores: aliena manu tractare magistra
Conspiceres: laudemq; alij sibi uelle laborem.
Tres nemorum dominos: & eadem cespitem musis
Intentos: gregibusq; simul spectare decorum
Dulce fuit: quorum unus iter cantabat acuta
Voce suum: niger ille oculos gestuq; uenusto
Pastorum pauor at stimulus: contra ille secundus
Totus amor placida doctus nil fronte negare:
Tertius impexis æstus & frigora & imbres
Assuetus perferre comis: qui multa uidendo
Omnes ambierat syluas: cygneaq; serum
Carmina iam properans uicina morte canebat.
Longe ibi transfluuiū regum inter busta seorsum
Vnus erat rutilus diuini ruris arator:
Qui pinguem scabro sulcabat uomere campum:
Huic comes hinc prudens hinc sedulus alter aranti
Certabant rigido glebas conuellere raistro.
Terra ferax: fessiq; boues: & laurea nusquam:
Nusquam hederæ aut myrtus: uiridis nam gloria ferti
Non studium musæ fragilis uox: arca sacro
Fonte recens: atq; alta domus: tum pinea late
Sylua uirens dulcesq; oleæ gremioq; decorum:
Clara fouens roseo puerum stat limine uirgo.
Hic matrona fuit hortis quæ lecta remotis
Vimineis calathis templo aurea poma sacrauit.
Mira loquar supraq; fidem: sed carmina uidi:
Hic hominis: pariterq; aquilæ: bouis atq; leonis
Hispanum nostra modulantem uocē iuuenicum:
Procedo iam ruris opes uisurus hetrusci.
His mihi tunc terris iuuenis fuit obuius altis
Cultor agri rigidus: patriæq; in mœnibus alter
Lenior ad sterilem uersando expertus arenam.

Laurea occidens

Cuncta dehinc inculta iacent: aduersa sed inter
Imus ad hispanos cultus: est corduba testis
Ciuis & alta canens ad solem uertice nudo
Nil patrij sermonis habens: nil frontis hybera:
Testis & emerita est & bilbilis: atq; uadosis
Gadibus ora tepens noctem quæ sera diemq;
Vltima surgentem solem uidet atq; cadentem.
Hinc ego burdegalam repetens: in littore cerno
Aequor ubi ambiguum refluxo ferit amne garumna
Multiloquum magnumq; senem: quem templa uasati
Nominis ausonij dederant: urbanior inde
Vnus aquis ubi fessus atax languentibus exit
Occupat eloquio: notus procul ille larissæ:
Notus apud thebas: sed enim tyberina latine
Docti omnes per rura loqui: tuq; indyta narbo
Carmina piscoso referens accepta benacho.
Sum nimius sed uisa trahunt: ignosce tenentq;
Dulcia postremo tuguri uix limina parui:
Orbe peragrato: & laurum mea regna reuisi.
Soc. Vndiq; conuectis ornans reor artibus illam.
Syl. Longus ero si cuncta sequar: sic illa parentis
Naturæ: & nostro fuerat sufflata fauore:
Ut neq; dodonam: nec cretam iuppiter illi:
Nec uenus Idaliæ aut amathum: eurotamq; diana:
Nec delon cirrhamq; suam præferret apollo.
Ille quidem assiduo repeto uolucresq; sagittas
Atq; arcum pharetramq; agilem citharamq; solebat
Illuc ferre suam: ramoq; aptare uiuenti.
Nescio quid fateor: socrates tamen omnia nosti
Diuinū ramis inerat per gramina circum
Ludere amadryades passim: nymphasq; uideres:
Hanc superum rapido dum fulmine rex quatit orbem:
Liquerat intactam folio ueneratus ab alto.
Romuleam uidi sobolem pubemq; superbam
Imperio: & trabeis sacras hinc carpere frondes.
Vidi hominū genus argutum doctumq; canendi
Esse sub hac cupide & rarissima texere sorta.
Ipse ego (quid longus quid non ualeat improbus usus)
Edidici uariare modos: ac multa per herbam
Sed non magna canens: demū me frondibus hisdem
Exorno: cellos poteram nec prendere ramos.
Ni sublatum humeris tenuisset maximus argus.
Hinc mihi primus honor dulcis labor ocia læta
Pastorumq; fauor multus: collesq; per omnes
Illicit ignosci incipio: digitoq; notari.
Laurea cognomen tribuit mihi: laurea famam:
Laurea diuitias: fueram qui pauper in aruis
Dines eram in syluis: nec me felicior alter:

Galatea

Sed latum fortuna oculo conspexit iniquo.
 Forte aberam syluasq; ieram spectare uetustas:
 Pestifer hinc eurus: hinc humidus irruit auster:
 Ac stratis late arboribus: mea gaudia laurum
 Extirpant: franguntq; truces: terraq; cauernis
 Brachia ramorum frondesq; tulere comantes.
 Hei mihi quo nunc fessus eam: quibus auxius umbris
 Recreer: aut ubi iam senior noua carmina cantem:
 Illic notus eram: quo nunc uagus orbe requirar:
 Quæ me terra capit: potes ad tua damna renerti
 Infelix: sparsaq; solo conquirere frondes:
 Et laceros ramos & iam sine cortice truncum
 Amplecti: lachrymisq; arentia membra rigare.
 Ibis: an ignotas fugies moriturus in oras:
 Infaustum uiuaxq; caput dulcissima rerum
 Spes abiit: quid uita manes inuisa fruenti:
 Quid fragilis lentusq; dolor præcordia uersas:

Soc. Pertinui longaq; aliud te flere putaui.

Syl. Heu heu parua igitur flendi tibi causa uidetur:

Soc. Nulla quidem potius: lachrymosis parce querelis:

Est dolor usq; loquax: laurum non eurus & auster:

Sed superi rapuere sacram: & fœlicibus aruis

Inseruere dei: pars corticis illa caduci

Oppetiit: pars radices uiuacior egit.

Elysiosq; nouo fœcundat germine campos.

Vidimus his oculis superos syluane uerendos

Leniter auulsam meliori in parte locantes.

Syl. Vidisti: an mœsto solamen fingis amico:

Soc. Vidi equidem & comperta loquor: uestigia supplex

Consequere ac precare aditum: uerbisq; caueto

Inuidiam conflare deis: quod honestius: opta

Transire in terras ubi nunc tua gloria uiuit.

Syl. Dii faciant precor ecce humilis semperq; precabor.

Explicit. X. Aegloga quæ Laurea occidēs ititulat:

Incipit. XI. Aegloga: cui titulus est Galatea.

Collocutores: Niobe: Fusca & Fulgida.

Nio. **O** Vc foror ad tumulum gelidiq; ad saxa sepulchri.

Fuf. Quid lachrymis alimēta petis germana: qd optas:

Nio. Est gemitus magni solamen grande doloris:

Afflictamq; animam releuant suspiria quæstus:

Enecat artatus mentem dolor: optima mœsti

Pectoris est medicina: palam lugere fuisset

Idem animus semper: nunq; hæc præcordia torpor

Verteret in silicem: nocuit tacuisse dolenti.

Mitto autem: cupidam modo duc ubi copia flendi.

Fuf. Carpe iter hac qua nodosis impexa capistris

Colla bouum: crebrasq; canum sub limine paruo

Galatea

- Videris excubias: gyluosq; ad claustra molossos.
 Ille locus tua damna tegit: iamq; aspice contra
 Hic galatea sita est: qua nil natura creauit
 Pulchrius in terris: nisi nos amor usq; fefellit.
 Depone hic quodcunq; premit: complectere bustum:
 Oscula fer faxis: umbræ dic uerba silenti.
- Nio. Heu nimis arcta domus: tanto domus arcta dolori:
 Hæc sedes galatea tibi est: quam fulgere cernens
 Sol stupuit: fassusq; parem: fassusq; subinde
 Maiorem: attonitus serum sese abdedit undis.
 Hæc sedes galatea tibi: uos sydera coelo
 Statis in occiduo ludis themone boete:
 Iuppiter ore poli lustras conuexa sereno.
 Is gelidus cum falce senex: armatus orion.
 Luna uices peragis solitas: uolucercq; deorum
 Interpres: nomenq; uenus positura uicissim.
 Hic pallens galatea iaces iam terra cinisq;
 Iam nihil æthereæ nisi forsan spiritus arce
 Viuit: & inde uidet flentes tranquillus amicas.
 Nil mihi respondes animæ pars altera nostræ:
 Optima pars eadem: dextras adhibito precanti
 Si qua fides mundo est: pietas seu prisca superstes.
 Heu lapidem infestum qua nunc soror arte reuoluam
 Irruam in amplexus: figam oscula dulce cadauer.
 Hoc referam moribunda sinu: fotumq; facellis
 Inferam: & arcanis: durum penetralibus addam.
 Addam perpetuos celebret quos mundus honores:
 Virgineos addam cœtus: ritusq; uerendos:
 Et sua sacra dea: nec fax nec carmina deerunt:
 Fœmineas longe lateq; sonantia laudes.
 Heu mihi prædurum lapidem graue pondus inersq;
 Deficio sub falce soror: nitenq; fathisco.
- Ful. Surge soror surge: sacrumq; cadauere corpus
 Cōmaculare caue: placeant præsentia frustra:
 Præteritum expectes: tuta est obliuio amanti.
 Nempe hesternæ dies ulla nequit arte reuertit:
 Mors adimit curas: mors omnia uincla resoluit.
 Iam satis est fletum: nostros mors fregit amores.
- Nio. Fregissetq; utinam nostros mors æqua labores:
 Speraui: prope nam steterat: miseramq; fefellit:
 Vivo sed infelix: & luctus seruor in omnes.
- Ful. Parcius en leuo tristis tibi fulgida calle
 Aduenit: & tacita castigat fronte querelas.
- Ful. Quid misera cæcæq; animi mortalia fletis
 Tam grauiter: quid fles niobe: quin incipe uisam
 Scire pati: quamcūq; dedit fors dura: dabitq;
 Et me torquet amor: desiderioq; meorum
 Permoueor: sed quid facias: arma irrita calces

Conſlictatio

Aduerſus ſtimulum: melior patientia preſſis:
Multa ſibi facit ipſe animus leuiora ferendo.
Quid gemitus? moritura fuit galatea: deinceps
Immortalis erit: proprio tabeſcere damno
Non amor: alterius ſortem lugere ſecundam
Inuidia eſt: quantum nobis deceſſerit omnes
Scimus: & ingrato quantum deceſſerit orbi.
Sed ferimus: uos definite: ac meliora tenentem
Suſpicite: & cœlum terris optate relictis.

Ful. Fabula: quĩs alĩs cœlum terreſtria preudent?

Ful. Aethereis: ſic terra ſuum: ſic aſtra repoſcunt.

Ful. Credulitas uulgate quĩdem: nos certa probamus.

Ful. Fuſca locis imĩs habitas: nos ſumma tenemus:

Et cœli terræq; ſitum ſpeculamur ab alto.

Nio. Ambages ueteres & inenodabile uerum

Mittite: & integram uenturis tradite litem.

Fulgida quin potius (muſas nam noſcis agreſtes:)

Dic titulum buſto: relegat quem ſerior atas.

Ful. Sic liquit galatea ſuũ pulcherrima corpus

Libera iamq; polos & regia tecta tonantis:

Ipfã quĩdem ſuperumq; choros menſaſq; frequentat.

Mors roſeos artus: mors candida colla: genasq;

Sydereosq; oculos tetigit: uultuſq; ſerenos

Obſcura dimerſit humo: mortalia quiſquam

Dilicat: aut ſperet ſtabiles hic figere plantas:

Quid gen? aut pbitas? quid opes? quid forma? quid atas?

Quidue decens cultuſ? quid gloria nominis ingens?

Omnia contigerant: manus abſtulit omnia mortis:

Nuda domum repetens e carcere fugit amato.

Nio. Nuda quĩdem minime quam gloria ueſtit amiſtus:

Clarior aſſidue longiq; recentior annis.

Hanc quacunq; ſibi uultuq; animoq; per æuum:

Aut cantu aut ſermone placens: cupienſq; placare

Deferet ante oculos: hanc nos dum ſpĩritus iſte

Artubus hærebit miſeris: & uiuere coget:

Hanc uel apud manes nebulosaq; flumina lethes:

Exemplarq; pudicitia formamq; decoris:

Corde ſub hoc ſemper memori pietate feremus.

Tum noſtro galatea tuum de pectore nomen

Exibit: fugient proprijs dum ſedibus aſtra:

Mellĩs apes ſtudioſum linquent: nidoſq; columbae:

Coniugium turtur: prædam lupus: arbuta caprae:

Cuſtodita dolos mulier: mendacia ſeruus.

Explicit. XI. Aegloga quæ Galatea intitulatur:

Incipit. XII. Aegloga: cui titulus eſt Cõſlictatio.

Collocutores: Multiuolus & Volucer.

Multiuolus q Ve noua ſers uolucer: qũã ſtupor: unde uehiſte?

Conflictatio

Volucer. Arduus in tenero pingues per gramine tauros:
Et molles pascebat oues pan maximus olim
Pastorum:& sylua late celeberrimus omni:
Faustula quem complexa sinu mulcente fouebat.
Viderat hunc crassa gelidaq; sub ilicis umbra
Arthicus armipotens:secumq; hæc turbidus ira.
Hunc cene perpetua gaudentem pace uidebo?
Securoq; sinam resupinum stertere somno?
Si satis hanc noui:dextramq; erexit in altum:
Excutiam madida cerebri de sede soporem.
Dixit:& omne fretum refugasq; exterruit undas:
Horridaq; extremis uox est audita britannis.
At sonitu ingenti penitus torpore fugato:
Pan caput abstulerat:gremioq; innixus amicae
Multa prius secum frendens:ac multa uolutans.
Vnde ait ista tibi tam insulsa superbia demens?
Vnde furor?nescis uires stolidissime nostras:
Spernis opum cumulos:spectatos spernis amicos?
Experire quidem:serum tentasse dolebis.
Fidus auariciae nuncq; continget amicus
Ille refert:at diuitiae sunt praemia belli:
His ne putes tardare minis?incendis & urges:
Desine:nec uentos nec turgida uerba timemus.
Est animus:sunt arma mihi:dubijsq; probatum
Pectus amicorum:sunt qui tibi terga iubente
Me feriant:dextrumq; premant latus atq; sinistrum.
Ipse genas frontemq; manu baculoq; retundam.
Non tibi par animus:non est manus apta duello.
Pan timuit:flentesq; oculos:hinc aspicias atq; hinc
Intonsis instare ferox pastoribus agmen.
Sustulit horrificam uocem:qua flumina & agri
Et mare uicinum infremuit:collesq; remoti.
Ac procul aeriam clamor peruenit ad alpem.
Vndiq; conueniunt:& qui per frigida tempe
Herbiuagos aluere greges:armenta q; belli
Grata deo:& qui lanifica dilecta minerva:
Et qui frondipetas nemoroso monte capellas:
Glandilegosq; fues:& amantes prata iuuenkos:
Turba ingens:unoq; omnes in gurgite tandem
Sordidulum lauere pecus:qua rura secanti
Dux Italus fluuio dedit aurea cingere templa.
Tot deerant alimenta uiris:nisi pana uirili
Faustula sollicitum curarum parte leuasset.
Nam grege de magno:decimū largissima quemq;
Obtulit:atq; famem sedauit pinguibus hedis.
Ah meretrix obliqua tuens ait arthicus illi:
Immemorem sponsi cupidus quam mungis adulter:
Hæc tua tota fides?sic sic aliena ministras?

Conflatio

Erubuit: nihil ausa palam nisi mollia pacis
Verba: sed assuetis noctem complexibus egit:
Et tacitam submisit opem mulieribus: ardens
Atq; imbuta odijs occultas ruminat iras:
At gelido stat flamma metu: iam brachia uterq;
Pastor ad ambigui certaminis orsa parabat.
Iam studijs aduersæ acies: iamq; arma fremebant.
Quæq; suos uocat ore deus: hæc mœnia troiæ
Arcturumq; canit: pugilum canit illa labores:
Monstriferûq; refert charolum: tum iurgia labæ
laetantur: toto uolitant conuitia cœlo.
Pan fraudes pensiq; nihil: fandi q; pi q;
Nota q; infamis testetur fabula caudæ
Obijcit: exiliq; locos: & inhospita tesqua:
Hostibus humani generis lingnæq; trementis
Barbariem: & rauco crepitantia uerba palato.
Ille autem tibi uerba placent: mihi facta relinque:
Et tamen expediam nodosa uolumina linguæ:
Et loquar ecce aliquid: faciet res ipsa disertum.
Te ne tegis digito: periuria: furta: rapinas
Noiimus oppressos homines: elusa deorum
Numina: quæ dignas tandem me uindice pœnas
Exposcunt: orantq; preces: lachrymæq; perorant.
Quas anus infelix: mulier miserabilis expes
Pollicitis decepta tuis noctisq; diesq;
Fundit & ingratum queritur deserta nepotem.
Serua canum: tu prima quidem: tu summa malorum
Causa: negas: scelerum semper tu perfidus auctor
Induis arma fremens: eadem mox abijcis arma.
Illa gemit: surdumq; uocat: non irrita iusto
Spes ubi nulla tui est mittens suspiria cœlo.
Mater & ipsa dolens rogitat miseræq; sorori
Increpitans te poscit opem: fratresq; superbo
Affusi mœstiq; greges: syluæq; precantur.
Quem non mouissent: sed inexorabilis unus
Durus: inhumanus: ferus: horrens: despicias omnes.
Quid tamen officio retrahit nisi pectoris ardor
Impius: & fului sitis importuna metalli:
Scilicet attonitus fulgenti incumbit aceruo.
Hinc stupor ille oculis: hinc illa obliuio menti:
Scelestum atq; animæ: sed quem tibi crimina finem
Promittunt: audi: nam sæpe illustria multum:
Multum animos exempla mouent: in flumine tusco
Pastor auarus erat: quem par sitis impulit: æqui
Foederis oblitum patrios transcendere saltus:
Occidit is merito: grauis at contagia culpæ
Immeritum parili traxerunt turbine natum.
Infaustumq; gregem innumeris texere sagittis.

Conflictatio

Nunquid si fidei uel si memor ille decoris:
Partius aut sitiens tanta cum strage suorum
Assyrias gustasset opes: auriq; saporem.
Arthicus hæc torrens: motus pantalia contra:
Si uacat exemplis tempus dare: sæuus eorum
Pastor ad euphraten fuerat: cui sanguine fuso
Esset inhumanū sitiēti horrenda uoluptas.
Ille ferox similisq; tui confinia raris
Sæuitia stimulante pari: dum despicit ampli
Incustoditos uiduæ transcendit in agros:
Incautumq; neci natum dedit anxia mater.
Omnem continuū fixa sub mente dolorem:
Euomuitq; simul pastor temerarius ictu
Fœminæi mucronis obit: truncusq; gelato.
Non aurum bibit ore nitens sed pocula martis:
Concretam saniem & tepidum de cæde cruorem.
Ergo age: quando pares exemplis arthicus infit:
Brachia tentemus: succedant uerbera uerbis.
Quid modo colchorum uolucres orientis odores?
Quid ue gulæ: & uentris irritamenta capacis
Omnia: quod pelago uahemens echinus: inersq;
Rumbus: & ornati squamis rutilantibus olim
Ferreus aurata quos fixerat hamus arena:
Sub uenetis clam merfus aquis: quod uulnere crebro
Si qua uel hispano natat ingens bælua ponto:
Vellibycis iactata uadis: peregrinaq; nostra
Profuerint: quod palmitibus seu dempta phalernis:
Seu ligurum decerpta iugis ardentia uina?
Quæq; ferat gemino transmisit colle ueseuus
Dolia præcipiti rapidum spumantia musto?
Quæq; dedit meroe soli subiecta propinquo:
Præterea quod lenta quies: quod mollis in umbra:
Et sapor & rauci per florea gramina fontes?
Omnia in exitium uertent: & blanda uoluptas
Conficiet bellum: mulier tua sola iuuare
Te uolet & poterit: ualidum prius agra leonem
Sternet ouis: prius armigerum philomena tonantis
Vicerat: ille autem quorum per iurgia tandem?
Quid mecum commune tibi: nil arthicus inquit:
Nil tecum commune mihi: nam iudice fato
Destituunt uictum: uictorem cuncta sequuntur.
Huius in arbitrium non nostra sponte uenimus.
Tu cogis: tu iusticiæ contemptor & æqui.
Quem cæcum fortuna facit: pariterq; superbum.
Quid tua nunc numeras: tumidos quid uoluís ocellos?
Vndiq; uenturos iam iam tibi fingis amicos:
Obstruxit tua fama uías: in tempore iussi
Tum mihi crede aderunt: lentus dum uoce sub una

Conflictatio

Gramine caucaseo pastus bibit agnus hyberum.
Hæc dicens mediæ pedibus iam stagna paludis
Frangebatur: panem contra: aditus & ouilia sepsit
Vepribus: & fluuio circumdedit antra sequaci.
Transierat: subitoque ingens per rura tumultus
Exoritur: tutum fateor: meque inde recepi:
Panemque turbatum penitusque per auia liqui
Solui agum: mox ambigua dum mente reflector:
Heu uictum uinctumque graui sine mora catena
Prospicio: trans stagna rapit: non libera celo
Brachia: sed mœstæ rorantia lumina frontis
Tollentem: ac tales iactantem in nubila quæstus.
Cernitis hæc superi: seu quid nam interuenit umbræ:
Cæca rotat fortuna fidem: regit omnia fatum.
Inunc: in rebus spem certam pone secundis

Francisci Petrarchæ Poetæ Oratorisque Clarissimi:
Bucolicum Carmen: per duodecim Aeglogas distinctum: Explicit.

Gravitas et auctoritas patris patris patris
Hic dicitur in multis locis
Paterfamilias et in multis locis
Veritas et in multis locis
Tandem et in multis locis
Exonant et in multis locis
Paterfamilias et in multis locis
Solus et in multis locis
Paterfamilias et in multis locis
Proprietas et in multis locis
Paterfamilias et in multis locis
Tollent et in multis locis
Certe et in multis locis
Certe et in multis locis
Inventum et in multis locis

Francis Petrus Orationis Classis
in Bucolicum Cantu per ducem Aglogas di
Minimale